PAPELES
VARIOS
ME[illegible]S

ANDREÆ

LAVRENTII

REGIS MEDICI, ET IN ACADEMIA MONSPELIENSI PROfeſſoris.

De Criſibus libri tres.

Adiecta eſt vniuerſalis quædam Methodus ad prognoſin, & criſes omnium morborum, ſed præcipue acutorum morborum conferens.

Cum indice ſatis accommodo & vtili.

LVGDVNI,

APVD HORATIVM CARDON.

M. DCV.

AMPLISSIMO VIRO D. A. HARLÆO, EQVITI, SENATVS PARISIENSIS Principi, And. Laurentius.

S. P.

SVPERIORIBVS annis dum Monspelij medicinam docerem publicè, rogatus, vt crisimorum dierum naturam multis difficultatum inuolucris implicitam enodarem, patucula quædam in vsum captumq; studiosorum dictaui, quæ nunc maiore fruens otio, & polire & illustrare cœpi. Ea cum doctis quibusdam communicassem digna putarunt quæ statim in lucem ederentur, & vt typis excudenda darem, sæpe hortati sunt. Ego licet eorum consiliis morem non gerere nefas ducerem; tamē ne inanis cuiusdam gloriolæ viderer cupidus, recusari & distuli quantum potui. Veniebat mihi in mentem egregium illud sapientissimi Poetæ Pindari, πολλὰ γὰρ πολλᾷ λέλεκται, νεαρὰ δ' ἐξευρόντα δόμεν βασάνῳ ἐς ἔλεγχον, ἅπας κίνδυνος. Multa iam dicta sunt: Noua autem examini dare vt explorētur, periculi est plenum. Expertus eram nuper inuidiæ morsus & maligni liuoris dentē. Quos enim tumultus vera illa & Galenica de communione vasorum cordis in fœtu demonstratio, non mouit: Audiebam, opera mea anatomica hoc anno in lucem edita, à quibusdam (qui nisi quod ipsi faciunt nihil rectum putant) improbari. Sciebam exstare quosdam, qui lucubrationes meas ex aliorum officina prodiisse iactitabant, cum tamen de

re anatomica nihil vnquam eos scripsisse sciant docti omnes. Quos illa Erebi & noctis filia quantumuis probos non mordet? Omnia hæc, fateor, ancipitem, fluctuantem & quasi suspensum diu tenuerunt animum meum. Sed quemadmodum mare videmus, tum cum omnes vndiq; venti erumpunt sæuique exsistunt turbines, agitari, idemque subito cœli serenitate ne minimâ quidem fluctus aura mouente sedari: ita cum multa essent quibus ego perturbarer, quæque antea pertimescerem tua (vir Amplissime) auctoritate, tanquam prosperæ & salutaris cuiusdã stellę fulgore illustratus, senti statim omnes omnium perturbationum procellas ab animo meo dissipari. Nota est omnibus singularis tua virtus, prudentia, & magnitudo animi penè incredibilis: Nam nec in mediis flammis, flamma ipsa te tangere vnquam potuit. Te plane ἀδέκαστον & verè Ægyptium iudicem, nihil præmio, nihil metu à iustitiæ semita digredientem prædicant & experiuntur omnes. Non hesperus, non ipse sol mundi oculus in cœlo ita nitent, vt tu in hoc clarissimi Senatus theatro fulges. Te igitur fautore, te auspice, quid non audeã? Quid non aggrediar? Libros scripsi de crisibus & diebus decretoriis: Tu iudicum princeps, de illis sententiam fer & faue. Criseos nomen è medio foro in artem medicam translatum fuisse putat Galen. Tu à grauissimis & forensibus negotiis liber, descende aliquando in forum hoc medicum & tuæ auctoritatis scuto scripta nostra defende. Hoc si feceris, Zoilus ilia rumpet, inuidi suo vitio (vt loquitur vetustissimus Poeta) punientur: Ego vero grates referam immortales, eroque tibi in perpetuum deuinctissimus. Vale

Cæsaroduni Turonum
4. id Septem.

***

INDEX CAPITVM TOTIVS OPERIS.

Liber primus, in quo crisis natura, differentiæ omnes & signa critica explicantur.

Liber

LIBER

LIBER PRIMVS, IN QVO CRISIS NATVRA DIFFERENTIAE OMNES ET SIGNA critica explicantur.

Præfatio in qua historiæ criticæ vtilitas demonstratur.

CVM multa sint, eaque præclara, in hac, quã profitemur medendi arte, ad πρόγνωσιν & θεραπείαν affectuum medico necessaria, nullum tamen mihi vnquam vtilius, nullum feracius, nullum obscurius visum est argumentum, quam, quod circa crisecon & criticorum dierum naturam versatur. Nam cum medici officium sit, morbos humani generis hostes infestissimos profligare, diæta, pharmacia, chirurgia: quisquis critica signa & dierum criticorum historiam ignorauerit, is nec victus rationem præscribet accommodate, nec remedia exhibere poterit oportune. Hippocrates 1. aphoris. & lib. de vict. rat. in acut. diætam nunc tenuiorem, nunc pleniorem instituit pro diuersis morbi temporibus. Aphor. 7. 8. 9. 10. 11. ὁκόταν ἀκμάζῃ τὸ νόσημα quo tempore instat crisis tenuissimum victum imperat, ne ab humoris morbifici coctione & eiusdem excretione auocetur natura. Extat in epidemiis commemorabilis historia de Philonis filia, quæ cum septimo die liberali superueniente hæmorrhagia, morbi periculo defuncta videretur, quia eadem die lautius cœnauit, interiit. Diebus criticis nihil mouendum, nihil nouandum, nũquam purgandum apho. 20. sectionis primæ. & libro quarto de morbis, diebus imparibus, qui fere omnes sunt critici, cathartica exhibere vetat Hippocrates. Qui (inquit) diebus imparibus validiore cathartico vsi sunt, nimium

Criseon cognitio ad victũ instituẽdum necessaria.

sunt purgati & multi perierunt. Neque vero ad curationem modo, sed etiam ad prænotionem acutorum morborum vtilis est criseon & criticorum dierum dignotio: Prudentis enim est medici, tamquam è specula præuidere imminentes morborum tempestates. Instante crisi perturbatur natura, estque νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τῆς παροξυσμοῦ aphorismo 13. sectionis 2. iactatio adest & anxitudo pene incredibilis, sitis inexplebilis, difficultas spirandi maxima pulsus inæqualitas, capitis dolor ingens. Hæc sane ægrum adstantes, & ignaros, metu mortis exterrere solēt: Prudentem vero & expertum medicum, spe salutis ob futuram crisin consolantur. Est itaque criseon διάγνωσις ad morborum prænotionem ac curationem medico & vtilis, & necessaria. Verum in hac criseon historia multa obseruantur inuoluta summeque ardua. Quod enim in dierum logismo dissentientium opinionum sese offerunt fluctus; Quot in causarum inuestigatione scopuli; Quot in signorum antecedentium, comitantium, consequentium perspicientia syrtes; Hæc tamen singula primus omnium: quorum memoria ad nos peruenit, Hippocrates, sua fretus μεγαλοψυχίᾳ in prognostico, aphorismis, epidemiis, libello de iudicationibus, & de diebus decretoriis, ita accurate exposuit, vt posteris gloriam omnem præripuerit. Hunc longo post æuo sequutus est Galen. qui primus Hippocratis oracula aperuit, & quæ αἰνιγματωδῶ à summo dictatore tradita erant, scriptis illustrauit doctissimis, idque libris tribus de crisibus & totidem de diebus decretoriis. Nos quæ ab antiquis & iunioribus de crisis natura, differentiis & causis, fusa verborum serie sunt animaduersa, hic in epilogum, velut in certam summam colligemus. Totam autem hanc criseon doctrinam tribus complectar libellis Primo crisis naturam, differentias, & critica signa aperiam. Secundo criticorum dierum numerum & eorundem vires patefaciam. Tertio causas dierum criticorum examinabo.

Vtilitas historiæ criticæ ad prognosin.

Institutū nostrū.

***

Quid

Quid crisis dictio denotet.

CAP. I.

Κρίσις dictio est Græca, quam varij varię interpretãtur. Sunt qui à verbo κρίνω, quod Latine, iudico, & sẽtentiam fero, significat, nominis etymon deriuent, vt κρίσις idẽ sonet, quod iudicium. Placuit Galeno nominis hęc interpretatio. Nam commentario in tertium progn. τῆς κρίσεως nomen à plebeio quodam ę medio foro in artem medicam fuisse translatum scribit. Et sane similia quodãmodo sunt capitis causam dicere, & acuto morbo laborare, ab auctore in iudicium rapi, & à morbo in vitæ discrimen trahi. Atque vt tria sunt, quæ forum constituunt, actor, reus, iudex: ita hic tria spectãtur, natura, morbus & dies criticus. Improbatur à doctis quibusdã nominis hæc notatio: nulla si quidẽ forensis iudicij cũ naturæ & morbi concertatione est analogia, nisi inepta & insolens. Quis n. in hoc certamine iudex statuendus? Nõ medicus qui naturæ minister est & spectator tantũ: Nõ natura quæ pugnat cum morbo, Non dies criticus, quippe qui per se agendi nullã vim habeat, vt docet Arist. in Metaphysicis: Crisin ergo ἀπὸ τοῦ κρίνειν, quod secernere est, deriuare malunt, vt crisis humoris potius secretionę denotet quã iudicium, Hoc voluit Gal. comment. ad Aph. 13. sect. 2. γίνεται δὲ κρίσις τῆς φύσεως διακρινούσης ἀπὸ τῶν χρηστῶν τὰ μοχθηρὰ καὶ παρασκευαζούσης πρὸς τὴν ἔκκρισιν, id est, fit crisis natura secernẽte humores noxios à bonis, eosque ad excretionem præparante. Alij crisin ab excretionem preparante. Alij crisin ab excretione dictam putant, quod perfecta crisis excretione fiat. Sic Aristoteles in problematis κρίνει τὴν περίττωσιν, & Hip. sect. 4. lib. de art. corrupt ossi. excretionem κρίσιν appellare solet. Sunt qui crisin certamen dicere malint: Est enim apud veteres κρίνω idem quod certo, vt διὰ μάχης κρίνειν τὸν πόλεμον: Et sane in crisi, aut saltem ea instante, maximum est naturæ & morbi certamen. Sed nobis, qui aucupes verborum nõ sumus, nihil interest κρίσιν ne iudicium, certamen, secretionem aut excretionem voces: Maiores fortasse erit operæ criseos varias exceptiones indicare eiusque naturam definitione ἐννοώδει explicare.

Crisis idẽ est ac iudicium.

Crisis secretio est.

Crisis excretio est.

Crisis certamẽ denotat.

Quam

Quam variæ sint crisis apud Hippocratem & Galenum acceptiones.

Cap. II.

Τῆς κρίσεως nomen in Hippocratis, & Galeni doctrina varium est ac multiplex. Sæpe crisis morbi cuiuslibet solutionẽ quouismodo factã denotat, sic in prognostico, κρίνεται γὰρ τὰ τοιαῦτα ἐν ἡμέρᾳ τε καὶ νυκτί, iudicatur autẽ huiusmodi vno die & nocte, id est, vt vertit Celsus, finiuntur. Sic libello de perceptionib. & περὶ κρισίων crisin definit Hip. κατάλυσιν νόσου & libro περὶ παθῶν. Iudicari in morbis est cum augescunt, aut marescunt, aut in aliam speciem trãsmutantur, aut omnino desinunt. Nõnunquam crisis violentos quosuis naturæ motus & conatus significat, sic libris de septimestri & octimestri partu, abortus & partus crises vocat Hippocr. Mulieribus inquit & abortus & partus ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ κρίνονται, ἐν ᾧπερ καὶ αἱ νόσοι, id est, in eo tempore iudicantur quo & morbus, & sanitas, & mors omnibus hominibus. Interdum pro morbi temporibus & exacerbatione vsurpatur crisis, vt aphorismo 19. sect, 1. His qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, ἀλλ' ἀφαιρεῖν πρὸς τῶν κρισίων: nec sine ratione crisis pro accessione vsurpatur, quia in vigore tantum & exacerbatione fiunt crises, nunquam aut saltem raro admodum in principio & declinatione. Aliquando crisis sumitur pro perturbatione quæ crisin præcedit, Gal. vocat τὴν προηγουμένην ταραχήν. Solet etiam Hippocrates crisin pro euacuatione vsurpare. sic libro de locis in homine, Medicamentũ (inquit) bene sanis non propinandum οὐ γὰρ κρίνονται εἰ μὴ σμικρόν, neque enim vacuantur nisi modicũ. Annotauit Galenus tertio de crisibus & comment. 4. in librũ de victus ratione in acutis, crisin simpliciter dictam eam significare, quæ est ad salutem, aut ad melius, & commentario ad aphor. 13 sect. 2. Plures inquit) crises ad melius vergunt, quam ad deterius. pluresque ex ægrotis sanantur quam moriuntur, nisi pestilens fuerit constitutio. Reperio tamen criseως nomen sæpe pro interitu à summo Hippocrate vsurpatum, vt in coacis prænotionibus, lingua, quæ multum

Margin notes: Prima crisis acceptio. — Secunda crisis acceptio. — Tertia. — Quarta crisis significatio. — Quinta. — Sexta. — Septima

multum nigrescit crisin decimo quarto die futurã ostẽdit, id est exitium. Et in prorhetico: Crebri cum vomitu relapsus nigrum cient vomitum, circa crisin sunt etiã tremuli. Sunt hæ criseos apud Hippocratem & Galenũ acceptiones variæ. Sed proprie definitur crisis cap. 1. lib. 1. de diebus decretoriis cap. 7. libri 3. de crisibus comm. ad aphorismum 13. & 23. sectionis 2. Subita & repentina in morbo mutatio, ad sanitatem, aut ad mortẽ: cuius definitionis singulas particulas minutatim excutere placet. Propria & vera crisis acceptio.

Crisis definitio eiusdemque explicatio.

Cap. III.

Κρίσις ὀξύῤῥοπος ἐστὶ ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγείαν ἢ θάνατον. Crisis repentina est in morbo mutatio ad salutẽ aut ad mortẽ. In motu, quinque obseruat philosophus, Terminũ à quo incipit motus (liceat vocabulis vtri scholasticis) terminum per quem fit terminũ in quem desinit, mouens & mobili. Crisis motus est, aut saltem motu perficitur: Eadem ergo in crisi, quæ in motu obseruanda sunt nobis. Terminus à quo incipit crisis morbi est augmentũ, fit enim ἐν νόσῳ: Pro varia itaque morbi natura, celeriores fient aut tardiores crises: Acuti celerius, Longi tardius iudicabũtur. Acutorũ alij sunt extreme peracuti, alij peracuti, alij acuti simpliciter. Extreme peracuti primo quaternario iudicantur, aph. 2. sect. tertiæ progn. κακοηθέστατοι πυρετοὶ τεταρταῖοι κτείνουσι, id est febres malignissimæ horrendisq;, comitatæ symptomatis quarto die interimunt & aphor. 6. sect. 5. Qui distentione corripiuntur, intra quatuor dies intereunt. Morbi peracuti primo septenario iudicantur: Acuti v. simpliciter in quatuordecim diebus κρίνονται aph. 23 sect. 2. Morbi longi per septenarios à vicesimo ad 40. per vicenarios à 40. ad centesimum iudicantur post 120. perit dierum vis, mensibus tunc & annis solui dicuntur. Plurimi affectus (ait diuinus senex tertio aphor.) pueris iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, alij in septem mensibus, quidam in annis septẽ. Terminus in quem desinit crisis sanitas est, aut mors, aut status proximus aut transitus in aliã morbi speciem lib. περὶ παθῶν. Terminus per quem est totum illud

Quinq; in crisi obseruãda. 1. termin9 à quo incipit crisis. Acutorũ morborum diuisio. Aph. 28. 2. terminus in quem. 3. terminus per quem.

4. Mouens natura est. illud tempus, quo coctioni secretioni, & excretioni incũbit natura. Mouens natura est: ipsa n. crisin molitur. Hæc illa est, quæ humorem morbificum coquit, secernit, excernit. γίνεται δ' ἐκκρίσις (ait Gal.) natura secernẽte humores noxios à bonis eosq; ad excretionem præparante. Naturæ apud Hip. morborũ sunt medicatrices νούσων φύσιες ἰητροί. ἀνευρίσκει ἡ φύσις αὐτὴ ἑωυτῇ τὰς ἐφόδους. Inuenit natura vias sine consilio, quibus morbos expellit. Hæc licet ἀπαίδευτος καὶ οὐ μαθοῦσα tamen quod rectum est facit. Hanc prouidam libris de diæta & ordinariã Dei potestatem lib. de aeribus, locis & aquis prædicat Hip. Hæc illa est stoicorum πρόνοια, Hic ille est artificiosus Zenonis ignis. Mouet ergo natura & promouet crises: Quod si debilior sit, potest interdum iuuari à medico, propterea addidit Hip. in epid. in hanc aut ẽ hæc extrinsecus, cataplasma, inunctio, fens totius & partis. Sic primo epid. Methoni cœpit die critico sanguis è naribus stillare, fouit statim Hip. caput aqua calida, tuncque liberius multò sanguis prorupit. Gal. comm. ad aph. 20. sect. 1. vult iuuari naturam, si imperfecta fit crisis, quod si perfecta sit nihil mouendum, nihil nouandum. Princeps Arabum Auicenna instante crisi, si sudoris signa appareãt, sudorificis vtitur totumque ventrem oleo perfundit calido.

5. mobile. Postremo in crisi spectandum, est mobile: eiusmodi est humor noxius & morbificus: Nam in solos humorales morbos cadit crisis.

De differentiis criseon.

CAP. IV.

Crisis differentiæ ex Hip. Hippocr. sect. 3. li. 1. epid. 4 statuit crisis differentias: vna est ad salutẽ altera ad mortem: Quædam ad melius, quædã ad deterius. Totidẽ agnouit Gal. comm. in 3. progn. Crisis (inquit) quatuor fit modis, aut enim confestim à morbis liberantur, aut magnam in melius mutationem habent, aut statim moriuntur aut longe peius habẽt.

Differentiæ crisis ex Gal. Acuratius multò cap. 2. lib. 1. de dieb. decret. & c. 7. li. 3. de cris. criseon differentias omnes persequitur. Quædam τελεία est seu perfecta in qua nihil reliquiarũ superest. Quædam ἀτελής, imperfecta in qua non omnino vacuatus est

humo

humor noxius. Alia πιστὴ, id est, fida in qua nullum subest
relapsus periculum. Alia ἄπιστος infida, quæ contra. Quę-
dam manifesta est σαφὴς, quæ fit cum excretione, vel ab-
scessu, Quædam ἀσαφὴς obscura, quæ citra excretionem,
vel abscessũ. Alia ἐύσημος id est indicatã, quæ diē suũ ha-
buit indicē, quartũ in prima septimana, vndecimũ in se-
cunda, decimumseptimum in tertia. Alia ἄσημος quę prę-
nuntiata nō fuit, Quædã κινδυνώδης periculosa quæ cum
grauissimis symptomatis. Quędã ἀκίνδυνος sine periculo,
quæ cū mitioribus. Quædã postremo bona quę ad salu- Diuisio
tē, quædam mala quæ ad mortē. Nos vnica diuisione has nostra.
omnes crisis differētias cōplectemur, Crisis alia perfecta,
alia imperfecta est. Perfectã appello, quæ perfectè iudi-
cat morbum. Hæc duplex, salutaris quippe & lethalis. Im-
perfecta etiam duplex altera ad melius, quæ nō omnino Quæ re-
tollit morbum, sed facit vt æger alacrius morbum ferat, quiran-
altera ad deterius. vt autem perfecta sit & salutaris cri- tur ad
sis multa requiruntur. Primum debet esse ἐύσημος id est, perfectã
bonis signis indicata: signa hæc coctionis signa dicun- & saluta
tur, quæ & tempus crisis, & eiusdem celeritatem ac secu- rem cri-
ritatem denunciant, si diebus suis quos θεωρητὰς, contem- sin.
plabiles & indices vocat Hip. appareant: Est autem in- 1 condi-
dex septimi quartus, decimi quarti vndecimus, vigesimi tio.
decimusseptimus. Secundo debet esse salutaris & perfe-
cta crisis manifesta, id est, cum causis criticis, excretione
quippe vel abscessu. Aph. 12. sect. 3. prog. Quibus febres
cessant sine salutaribus signis, relapsus subest periculum.
Sententia 16. sect. 2. prior porreti. Lethales morbi, qui si-
ne signis (id est, causis criticis) leuationem habent morte
significant. & aphoris. 27 sectione secunda. His qui sine
ratione leuantur (id est, sine excretione aut abscessu lau-
dabili) non est fidendum: In coac. prænot. ἀπαυγέσθαι, οἱ
ἄνευ ἱδρῶτος περιψυχόμενοι ἀκρίτως, κακόν. Atque in vni-
uersum omnes qui sine sudore refrigerati sunt pessime
habuerunt. Extant ad huius rei illustrationem elegan-
tes historiæ in epid. sed vnica hęc mihi erit instar omniũ.
Æger secundus sect. 1. li. 3. epidemion. Hermocr. 14. die li-
beratur à febre, nō sudauit, 17. rursũ febre corripitur 20.
febris expers, nō sudauit 24. die rursũ febricitauit, Tãdē
27. die moritur. Si ergo sine causis & signis criticis, quod
est apud Hipp. ἀσήμως aut μὴ κατὰ λόγον soluatur morbus,
periculo non vacat: At si cum salutaribus signis & in

signi

signi excretione, aut abscessu leuationem persentiat æger, per fecta & salutaris crisis æstimanda erit. Tertio, ad perfectam crisin requiritur dies criticus. Quæ n. diebus non criticis contigunt suspecta esse solent. Sunt hi velut arbitri & iudices disceptationum naturæ & morbi. Annotauit Aristot. cap. 6. lib. 5. Physic. febres quæ diebus non criticis iudicantur, alteratione habere παρὰ φύσιν, quæ v. diebus criticis, secundum naturam. Damnat perpetuo Hippoc. ea quæ leuant diebus non criticis. sect. 5. lib. 2 epidē. ἢν μὴ ἐν τῇ γονίμῃ μεθῇ ὁ πυρετὸς ὑποτροπιάζειν ἀνάγκη. id est, febris nisi fœcundo die remiserit, recidiuam timere oportet. Fœcundos interpretatur Erotianus impares, quoniam αἱ περιτταὶ ἡμέραι ὡς ἐπίπαν κρίσιμοι τυγχάνουσι, id est, impares dies fere critici exsistunt, & aliquid ad ferunt commodi. Sententia 22. sect 3. prognost. Quæ febres diebus non criticis soluuntur, relapsum minantur. Quarto vt perfecta sit & salutaris crisis, debet esse ἀσφαλὴς καὶ ἀκίνδυνος, id est, fida & secura. Fidā appello, in qua nec vllæ supersunt morborum reliquiæ nec ipse relapsus in metu est: Securam vero, quæ est sine periculosis symptomatis, & cum ægri tolerantia. Postremo debet perfecta crisis fieri pro morbi specie, & ægrotantis natura, ætate, temperie: Acuti enim morbi per excretionem diuturni per abscessus iudicari solet: Febris ardens in iuuene, hemorrhagia vt plurimum, in sene alui profluuio iudicatur. Erit igitur (vt rem in pauca contraham (perfecta & salutaris ea crisis, quæ indicata fuit signis coctionis, quæ manifesta est, cum excretione scilicet, vel abscessu, quæ die critico cōtingit, sine periculosis symptomatis, in qua noxius humor omnino vacuatus est, quæ denique ægrotantis naturæ, ætati ac morbo conuenit. Horum vnum si desideretur, imperfecta crisis exspectari debet. Criseωn porro differentias clarius sequens tabella indicabit.

***

Tertia cōditio.

Quinta condi- tio.

1. indicat

Crisis repentina est ad salutem aut ad mortem mutatio, hæc duplex est.

- *Perfecta quæ omnino iudicat morbum, hæc duplex.*
  - *Salutaris quæ sex notas habet, debet n. esse*
    1. *indicata signis coctionis.*
    2. *manifesta cum excretione vel abscessu.*
    3. *die critico contingere.*
    4. *fida, in qua nihil reliquiarum superest.*
    5. *secura, id est, sine periculosis symptomatis.*
    6. *conueniens morbo & ægrotantis naturæ.*
  - *Letalis cõtraria habat omnia.*
- *Imperfecta duplex.*
  - *Ad melius, quæ non omnino morbum tollit, sed facit ut æger alacrius morbum ferat.*
  - *Ad deterius.*

Signorum criticorum diuisio.

Cap. V.

Criticorũ signorum dignitas.

Maxima est historiæ criticę in omnibus morbis acutis & dignitas & necessitas: Futuros enim morborum euentus præuidere, admirabile est & quasi diuinationi proximũ. Quisquis imminentem crisin belle indicauerit, is vulgi & adstantium calumniá vitabit, omnibꝰ stuporem pariet, remediorum denique dignitatem conseruabit: Indicari autem non potest crisis nisi per propria signa, quæ velut τεκμήρια sunt & notæ, quibus mẽs in recondita penetrans omnia quantumuis inuoluta sic aperit, vt oculis ea cernere videatur. Critica signa primus quidem exposuit Hipp. sed sparsim & αἰνιγματωδῶς. Ego in rudiorum gratiam obscura hæc illustrabo, & in apertam lucem proferam breui hac methodo.

Diuisio criticorũ signorũ. Antecedentia signa. Comitãtia.

Signorum criticorum, alia crisin præcedunt, alia comitantur, alia subsequuntur: Quæ crisin præcedunt duorum sunt generum: Quædam diem & tempus criseως prænunciant eiusdemq; securitatem, cuiusmodi sunt coctionis & cruditatis signa, quæ in excrementis apparẽ: vniuersalibus, vrina & deiectionibus: quædam speciem crisis, sudorem quippe iam futurum, instantem, hæmorrhagiam, vomitum, alui & vrinæ profluuiũ quasi digito indicant. Signa crisin comitantia sunt ipsæmet causa criticæ, excretio quippe vel abscessus. In excretione v. commode fiat 4. spectanda sunt, qualitas laudabilis, debet enim & peccans & coctus humor vacuari; Quantitas sufficiens, nam vt nihil paucum & criticum, ita quod nimiũ est damnatur. Tempus oportunum & excernendi modus naturæ familiaris, quæ omnia his verbis expressit Hipp. 6. epid. & qualia, & quando, & qua parte, & quantum opus est. Abscessus v. legitimi cõditiones sunt vt fiat deorsum, secundum rectitudinem morbo à natura concocto & pro dignitate morbi, quòd tribus verbis designauit sect. 2. lib. 6. epi. ὅτι, ὅθεν καὶ διότι, quo, vnde & propter quid. Signa quæ crisin consequuntur, factam iam crisin perfecta ne sit an imperfecta nobis commonstrant, ea ex actionibus naturalibus vitalibus animalibus ex qualitate corporis & excrementis vniuersalib. petenda sunt

Signa omnia critica sunt.

- *Antecedenti a duorum generũ.*
  - *Alia tempus, diem & celeritatem crisis prænuntiant eiusmodi sunt coctionis & cruditatis signa.*
  - *Alia speciem crisis indicant.*
    - *Excretionũ, cujus species sunt.*
      - *Sudor, vomitus, diarrhœa, vrina profluuium.*
      - *Sãguinis fluxus.*
        - *nares,*
        - *vterũ*
        - *hæmorrhoidas.*
    - *Abscessum*
- *Comitãtia causæ ipsæ sunt criticæ.*
  - *Excretio, quæ vt commode fiat 4. requiruntur:*
    - *Qualitas, vt coctus & peccans humor vacuetur.*
    - *Quantitas vt nec paucus nec copiosus.*
    - *Tempus. dies criticus*
    - *Excernendi modus.*
  - *Abscessus, qui vt legitimus sit debet fieri,*
    - *deorsum, procul*
    - *laxius*
    - *pro dignitate*
- *Consequentia petuntur ex.*
  - *Qualitate corporis in*
    - *figura*
    - *colore*
    - *mole.*
  - *Actionibus*
    - *Naturali*
    - *vitali,*
    - *animali*
  - *Excrementis.*
    - *Vrinis, Deiectionibus*

De signis antecedentibus quæ tempus & diem crisi prænunciant signis quippe coctionis.

Cap. VI.

SIgna tempus & diem crisis indicantia, sunt coctionis & cruditatis signa: Hæc enim, quo die iudicaturus sit morbus, & an celerior, vel tardior sperari debeat crisis,
Coctio diē crisis indicat. certo demōstrant. Quod diem crisis indicet coctio, docet Hippocr. in progn. & aphor. Quibus (inquit) septimo die crisis venit, illis sub quartum in vrina nubecula fuit rubra & alibi, Si quarto die vrina hypostasin habeat al-
Aph. 71. sect. 4. bam, leuē, æqualem, solutionē morbi septimo fieri ostendit. Est enim τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, id est, septenorū quartus index: Addit Gal. modo nihil extrinsecus erratū fuerit, id est, si neq; medicus quid peccauerit in victu instituendo, neque æger, neque ministrorum quisquā: imo si neque error vllus extrinsecus admissus sit: quod etiam designauit Hipp. aphor. citato, dū subiungit, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον & in coacis prænotionib. τῶν λοιπῶν κατὰ λόγον ἐχόντων, id est, si cætera conuenienter sint constituta: Fieri enim potest ob externam aut internā aliquam causam, vt quartus septimū semper non indicet, vt fusius li. 2. ex-
Coctio securitatem & celeritatē crisis denuntiat. plicabitur, dum dierum indicantium vires aperiemus. Neque vero diē tantum, sed etiam securitatem & celeritatem crisis indicare solent coctionis signa: Locus est perelegans apud Hippoc. sectione secunda li. 1. epid. Coctiones (ait) celeritatem & securitatem crisis denuntiant, cruda vero incocta & in prauos abscessus conuersa, aut diuturnitatem, aut dolorem, aut mortem, aut relapsus minātur, & progn. 26. sect. 2. vrina quæ albam & leuem habet hypostasin securitatem & breuitatē morbi ostendit, quia (vt interpretatur Gal.) coctio nonnisi valentissimi caloris opera suscipitur, calor autem natura est particularis, quæ morbos curat. Obiiciet hic fortasse argutiolus quidam Hippoc. auctoritatem sect. 2. li. 2. epid. τὰ κρίσιμα μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω, id est, iudicatoria ne statim appareant: Non igitur primis morbi diebus, neque perpetuo laudanda

danda sunt coctionis signa. Expedita respōsio est ex Gal. li. de crisib. per κρίσιμα Hipp. non intelligere coctionis signa, de his enim exstat solēne illud edictū πεπασμοὶ ταχέες πάνθεν ἐπίκαιροι, coctiones semper opportunę.) Sed aut signa perturbationis criticæ, aut causas ipsas criticus excretionem scilicet vel abscessum : hæc enim si principio morbi appareant humoris potius feritatem quam naturæ contentionem indicant. Dices sputum in pleuritide si statim appareat morbi & breuitatem & securitatē significare aphor. 12. sect. 1. Cur non eadem sudoris, vrinę sanguinis & reliquorum humorum in acutis febribus erit ratio? Respondet Gal. pleuritim peculiarem esse membranæ quę costis subtenditur affectum, quo ergo celerius exsudat, excluditurque humor distendens, eo celerius mitescit inflammatio: At febrium acutarum materia in toto venoso genere continetur quæ mitificanda, coquēda, secernenda est priusquam excernatur, hoc autem primis morbi diebus fieri nequit. Stet igitur inuicta summi Dictatoris sententia, coctionis signa, quouis morbi die appareant, semper bona esse. Verum pro theorematis huius veritate adhibendę sunt distinctiones quædā: Non enim quælibet cuiusque humoris coctio securitatem arguit, nam pleuriticos, peripneumonicos, anginosos plerosque cum sputo laudabili & cocto interiisse obseruauit Hipp. in epid. Duo itaque ad perfectam noctionem requiruntur. Debet primum esse continua, deinde vniuersalis. Cōtinuam voco cum Hipp. eam quæ constans est ἱδρυμένη καὶ παρὰ πάντα τὸν χρόνον. Vniuersalem vero quæ in excrementis apparet vniuersalibus, vrinis quippe & alui deiectionibus. Quod requiratur in coctione cōstantia & continuitas demonstratur progn. 26. sect. 2. Optima (inquit) est vrina cum sedimentum fuerit album: læue & æquale per totum tempus, donec iudicatus fuerit morbus: Quod si intermiserit & aliquando quidem pura (id est cruda) meiatur, nōnunquam subsideat quid album ac leuæ, diuturnior fit morbus & minus securus. Auctoritas ratione confirmatur. Continuitas coctionis naturæ validam vim & caloris coquentis imperium denotat: At si interrupta sit coctio, vt mane coctionis signa appareant, vesperi delitescant, nunc crudæ, nunc coctæ fundantur vrinæ nulla ex ea coctione crisis securitas sperari potest, quia pari cōtentione certant natura & morbus, vnde manet victoria

Respōsio

Obiect.

Solutio.

Duo requirūtur ad perfectam coctionem.

1. conditio.

anceps, incoat coctionem natura, sed debilior perficere nequit, aut fortasse humoris efferri tãta est malignitas, vt coctionem admittere non possit, hinc δυσκρισία. Debet præterea coctio hæc esse vniuersalis, id est, in excrementis apparere vniuersalibus, eiusmodi sunt vrinæ & alui deiectiones, sed ex vrinis certiora quam ex deiectionibus petuntur indicia. Qualia ergo ea sint & quid prænuntient iam explicare aggredior.

Altera cõditio.

Qualia esse debeant coctionis signa in vrinis, & quomodo ex vrina inspectione crisis totusque morbi euentus præsentiri possit.

Cap. VII.

Signa omnia siue sint lethalia, siue saluturia ex tribus quasi fontibus hauriẽda sunt, actione læsa, qualitate corporis & excrementis. Excrementorum licet varia sint genera, plura tamen & certiora ab vrinis, quã cæteris omnibus, salutis aut mortis, coctionis & cruditatis indicia petuntur. Nulla prognosis medica recte instituitur, nulla τεκμαρσις in medendo preclare initur nulla crisis tuta & certa præsagitur, quæ vrinarũ διάγνωσιν non admittat: Inique igitur Erasistratus & Quintus vrinarum inspectionem ad pictores tantum spectare arbitrabantur. Nos celeritatem, tarditatem, securitatẽ & periculum crise̾s totumque morbi euentum ex vrinis ita coniiciemus. In vrina duo obseruanda sunt χῦμα, id est, liquor & περιεχόμενον id est, contentũ: Ex liquore igitur & contentis coctionis signa, quę vere sunt κρίσιμα petẽda sunt. In liquore duo spectantur, substãtia & qualitas: Substãtiæ nomine duo complector; corpus & perspicuitatem. Si liquoris corpus inspicias, vrina omnis aut tenuis erit aut crassa, aut mediocris. Si perspicuitatem, alia erit perspicua, quam visus acies facile penetrat, alia turbulenta seu obscura, per cuius medium non cernimus. Ad qualitatẽ liquoris refero colores tantum, tum extremos, tum medios, & odores: Nam vrinas gustare (vt solebant Arabes) sordidum est ac medici dedecet dignitatem. Vrina tenuis cum febre acuta cruditatem & natiui caloris imbecillitatẽ perpetuo arguit: Quamdiu ergo talis ap-

Quæ in vrinis obseruãda sint.

Quid indicet vrina tenuis.

paruerit, perfecta & salutaris crisis sperari nequit, aphor. 30. sect. 2. progno. Vrina tenuis σημαίνει τὸ νόσημα ἄπεπτον ἔνα, morbum incoctū esse significat. Statum hoc pro theoremate. Vrinas tenues in acutis febribus si summa ad sit virium imbecillitas, mortem aut periculum ingens minari. Sin autem cōstant vires, aut morbi lōgitudinem, aut abscessum imis in partibus, prænuntiare: Quod si post crisin tales appareant, relapsus periculum subest. De longitudine morbi exstat hæc prognosis in Coacis, Vrina tenuis & vix sedimentum habens, tum quæ in melius, modo in peius mutatur, diuturnitatem morbi significat, quia dubium naturæ & morbi certamen ostendit. Quod abscessum prænuntiet docuit Hippoc. progn. 34. sect. 2. Qui tenuem crudamque vrinam diutius mingunt τουτέοισιν ἀπόστασιν δεῖ προσδέχεσθαι ἐς τὰ κάτω τῶν φρενῶν χωρία abscessus exspectare oportet in partes diaphragmate inferiores: Quod vero relapsum minetur vrina tenuis, Hermocratis historia illustrari poterit. Is 14. die liberatur à febre, decimoseptimo vrinæ tenues apparuerunt, vigesimo septimo mortuus est. Ne longum faciam hæc summi Hippocr. auctoritas sufficiet de tenuiū vrinarum iudicio sect. 5. lib. 3. epid. οὖρα τὰ λεπτὰ οὐδὲν κρίσιμον οὐδὲ χρηστὸν, id est, vrinæ tenues criticū nihil nec salutare præ se ferūt, quia tenuitas aut caloris imbecillitatē arguit, qui homogenea cogere nequit, aut caloris excessum qui nimium attenuauit. Dignoscitur vtraque causa colore. Quæ n. tenuis est & decolor, à debili est calore, quæ tenuis & colorata ab igneo. Ceterū vrinas tenues hic intelligo, quæ febrē cōtinuā habent comitē. Nā si sine febre mingātur, aut ea mitiore, hepatis tantū lienis & meatuū vrinæ dicatorum obstructionē arguunt: ita enim quod tenue est tantū percolatur quod crassius est remanet. Cōtra vrinæ mediocriter crassæ salutarē & perfectā crisin perpetuo pollicētur, quia natiui caloris robur ostēdunt, vnde crisis celeritas & securitas. Debet ex Hipp. doctrina aphor. 16. sect. 2. prog. omne excremētū crassescere, eunte ad iudicationē morbo, & apud Philosophos, coctio omnis incrassādo perficitur: Sit autē vrina hęc mediocriter crassa. Nā si crassissima sit, prauorū humorū permistionē arguit, aut natiui caloris oppressionē, vnde aut dolor, aut diuturnitas morbi aut praui abscessus, aut relapsus. Solet porro vtraq; vrina nūc perspicua, nunc turbulēta excerni, vnde cruditatis & co-

Theorema de vrinis tenuibus.

Vrinæ crassæ quid denotent.

Vrinarũ turbidarum tria genera. ctionis, salutis & mortis certa petuntur indicia. Vrinarum turbidarum, tria statui genera Gal. Quædam claræ minguntur & postea turbantur indicant primũ coctionis impendere rudimentum; Quædam turbatæ minguntur, sed postea euadũt limpidæ, naturæ victoriam demõstrant, & tantillum flatulenti spiritus superesse. Quædam postremo perturbatæ minguntur & perturbatæ remanent, arguunt maximam humorum in venis agitationẽ & naturæ ac morbi certamen ambiguum. Hæ vrinis iumentorum sunt similes & in Hippoc. doctrina capitis dolorem, delirium, conuulsionem ac mortem prænunciant. De capitis dolore exstat aphor. 70. sect. 4. Quibus vrinæ perturbatæ iumentorum similes, his capitis dolor vel adest, vel aderit. De delirio obseruaui quamplures historias in epid. Philini vxor quæ filium pepererat, cum vrinis perturbatis delirauit, tandem mortua est. Eualicedæ famula phrenitica interiit, at toto morbi de cursu vrinæ perturbatæ apparuerunt. Polyphantus cum vrinis iumentorum similibus mente motus est, tandem conuulsus moritur. Cur autem hæc omnia indicent vrinæ perturbatæ, demonstrat eleganter Gale. commentario ad aphor. iam citatum, quia perturbatio hæc maximam humorum in venis agitationem & flatulenti spiritus permistionem arguit, hinc vapores quam plurimi suscitantur, qui sua tenuitate sursum elati caput replent, & pro varia partium quas obsident infestantque natura diuersa pariant symptomata, si enim sacram palladis arcem occupent, id est si cerebri temperiem (quam mentem solet appellare Gal.) immutent, delirium excitant, si biliosa acrimonia neruorum principium pungant, conuulsionem pariunt, si venas & arterias capitis, nec non eiusdem membranas, quæ sunt exquisitissimi sensus distandant cephalalgiam: Quod si perspicuæ meiantur, natiui caloris robur & spirituum per vniuersum vrinæ corpus æqualiter difusorum copiam arguunt. Atque hæc sunto *ὑγίεινα* & salutaria & læthalia, quæ ex liquoris substantia, tenuitate quippe aut crassitie, perspicuitate aut turbulentia peti possunt: Nunc quid qualitas liquoris, color nimirum indicet, breui aperiamus.

Vrinæ iũmentorũ similes quid præ nunciet.

* * *

Quæ

Quæ coctionis signa in liquoris vrinarum qualitate luceant.

CAP. VIII.

AD qualitatem liquoris refero colores: Eorum alij sunt extremi, alij medij. Extremi duo sunt albus & niger: Intermedij quamplures pro varia extremorũ permixtione: Eorum tamen quidam ad album magis accedunt, alij ad nigrum. Vrina alba, aquosa, pellucida si sit sine febre, lethalis per se esse non potest: arguit enim tãtum, aut cruditatem, aut hepatis lienisue, & meatuum vrinæ secernendæ, deducendæ, excipiendæ, dicatorum obstructionem, aut aquæ & vini albi liberaliorem potũ: At si cum febre sit continua, eaque acuta, nisi ad hemorrhagiam criticam aut dysenteriam appareat, perpetuo lethalis est aut saltem periculo non vacat, quia vel summam natiui caloris imbecillitatem ostendit, quæ potum & humores nec alterare, nec permiscere potuit, aut vniuersæ bilis translationem ad caput, aut magnum incendium hepatis, quod sanguis vna cum bile absorbetur. De vrinarum albarum cum febre acuta periculo multa scripsit Hippoc. in coacis prænotionibus, quas doctissimis & elegãtissimis commentariis illustrauit Ludouicus Duretus Regius medicus & Professor eximius, Præceptor ôlim meus obseruandissimus, qui multa Hip. oracula nobis aperuit & quæ ad prog. spectant ita explicuit, vt cum prioris seculi tenebras discusserit, posteriori lucem splẽdoremque attulerit eximium. Ex quibus hæc annotare placet periculosas quidem esse in vniuersum vrinas albas, sed in phreniticis perpetuo lethales, quod etiam aphor. 72. sect. 4. ita scriptum legitur. Quibus albæ & pellucidæ apparet vrinæ prauæ sunt, maxime vero in phreniticis, quia humor qui deberet esse καἰάῤῥοπ☉ fit ἀνάῤῥοπ☉, qui per inferiora reuellendus erat ad partem inflammatione obsessam cursum inflectit, vnde augetur cerebri & membranarum erysipelas. Æger quartus sect. 2 lib. 3. epid. secundo die surdus cum vrinis albis, tenuibus & pellucidis circa meridiem delirauit, quinto die Quid indicet vrina alba.

mortuus est. Æger quartus sect.3.lib.3. epid.cum vrinis tenuibus & albis quarto die moritur phreniticus. Dealcis vxor phrenitica cum tenuibus &albis vrinis vigesimo interiit. Nulla ergo in vrinis albis & tenuibus coctionis signa lucent,sed cruditatis tantum nullaque pro inde salutaris crisis sperãda est Contrarius vrinarum color,niger quippe magis nos terret grauiusq; minatur periculum,

Nigræ vrinæ quid indicent.

aph.32.sect.2.progn. θανατωδέστερα δὲ τῶν οὔρων τάδε μέλανα, id est, vrinæ nigræ omnium pessimæ sunt & lethales magis, aphor. 21. sect. quartæ damnat in vniuersum deiectiones nigras. Ratio in promtu est quia aut maximum indicant incendium omnia torrefaciens, perurens & quasi in cineres vertens, aut natiui caloris extinctionem:Sic iamiam moriẽtium partes omnes liuent nigricantque vitalis spiritus radiis nõ amplius illustratæ. Hoc docuit Gal.lib.1.de crisibus&cõmentar.prog.exemplo partium nostri corporis,quæ ab immodico solis æstu & ambientis frigore nigredinem contrahunt; sic sanguis dum refrigeratur aut exuritur ater fit.At vtraque causa lethalis est..

Distinctio vrinarũ nigrarum.

Cæterum dum vrinas nigras exitiales dico, eas intelligo, quæ tales sunt liquore & generatione: Nam quæ nigræ sunt permistione humoris cuiusdã atri, salutares plerumque esse solent & criticæ, tum in acutis, tum in diuturnis morbis.Solet(inquit Gal.(natura deponere περιουσίαν τῶν μοχθηρῶν χυμῶν prauorũ humorum abundantium per vrinas. Mulieribus quibus suppressi sunt mẽses si nigræ appareant, refluente ab vtero ad renes, aut vesicam sanguine, nihil malum. Obseruauimus sæpe spleniticos & quartanarios vrinarum nigrarum liberali profusione sanatos:Quomodo autem & per quos ductus id fiat lib.1.controuersiarum nostrarum anatomicarum exposuimus : Sæpe etiam ab epoto medicamento vrinæ nigræ minguntur salutariter, vt docet Actuarius longa historia serui sui lib.1.de iudiciis vrinarũ: Sed hæ omnes vrinæ tales sunt permixtione γενέσει non liquore.

Vrinæ prærubræ.

Vrinæ prærubræ initio morbi longitudinem arguunt, in statu vero mortem. Atque hæc sunt, quæ in liquore spectare debet medicus, vt diem & tempus crisis, eiusdemque securitatem & celeritatem tuto prædicere queat : Nunc quæ in contentis luceant coctionis aut cruditatis signa explicemus.

Qualia

Qualia apparere debeant in vrina contentis coctionis & cruditatis signa.

Cap. IX.

Ex contentis, quæ Græci ὑφιστάμενα vocant, plura apud Hippo. coctionis & cruditatis, salutis & mortis, celeritatis & tarditatis criseωn indicia petuntur, quam ex liquore: Raro enim liquoris meminit, sæpissime contentorum in Aphor. prog. epid. coacis. Contentũ appello quicquid crassius & corpulentius in vrinis consistit. Hoc duplex statui solet: Aut enim de vrinæ substantia est, id est, cum vrina ortum perfectionemq; nanciscitur, cõmuniori vocabulo ὑπόστασις dicitur, aut aliunde aduenit, vt ab vniuerso corpore, vel ab aliqua parte, hepate, renibus, vesica. Hypostasis pro varia loci & situs ratione triplex statuitur: vel enim in imo subsidet & proprie hypostasis dicitur, vel in medio propendet & ἐναιώρημα vocant, id est, suspensũ, sublimamentũ: vel summa facie innatat νεφέλη καὶ ἐπινεφέλιον nubes, nebula, nubecula dicitur: solet tamen sæpissime Hip. in prog. coacis & epid. tria hæc confundere. Hipostasis si in vrinis appareat celerẽ crisin ostendit, estque certissimũ futuræ criseωs argumentum. Exstat illud Hip. ὁκόσοισιν οὖρα ταχέως ὑπόστασιν ἴσχει ταχέως ὅτι κρίνονται, idest, Quibus vrina cito hypostasin habet, celeriter illi iudicantur, ad salutem aut ad mortem, ad salutem, si laudabilis sit, ad mortem, si praua. Laudabilis hipostaseos notas ex Hippoc. doctrina quatuor reperio. Debet esse alba, læuis, æqualis & moderate crassa. Albedo robur arguit solidarum partium: Hæ enim partes cum albæ sint & spermaticæ, crassam hanc alimenti partem assimilare conantur: hoc cum omnino præstare nequeant ob substantiæ dissimilitudinem, saltem in colore & qualitatibus id moliuntur: omne siquidem alimentum, omne excrementũ (vt docet Gal. primo de facultatibus naturalibus) referre debet naturam, ideam & colorem partis, à qua manat: manat à solidis partib. hypostasis earumq; excrementũ est. Debet igitur alba esse, si omnia κατὰ φύσιν se habeant. Secũdo debet laudabilis hypostasis esse λείη, id est leuis, vt omni ex parte

Marginalia: Quid sit cõtentũ. Cõtentorũ duplex genus. Hipostasis differẽtia triplex pro positu vario. Laudabilis hypostaseos notæ omnes. 1. conditio vt alba sit. 2. conditio vt læuis sit.

parte vnica sit planities, vnicum corpus continuum, & sibi coherēs, nihil habens asperitatis, nulla ex parte fissum rugosum aut diuulsū. Tertio debet esse ὁμαλὴ. id est, æqualis, similaris: indicat hæc æqualitas vim natiui caloris qui in omnes materiæ partes æqualiter sese diffudit, Cæterum æqualitatem hanc duobus modis interpretor. Primum æqualem intelligo eam, quæ vniusmodi est, id est cuius partes omnes & crassitie & colore sui vbique similes sunt vt hac parte crassior non sit, illa tenuior. Propterea æqualem voco eam, quæ constans est & similis toto morbi decursu, vt si semel alba & lęuis apparuerit sequētibus diebus eadem permaneat, eam his verbis designauit Hip. in prog. παρὰ πάντα τὸν χρόνον ἐστ' ἂν κριθῇ ἡ νόσος. Quod si intermiserit morbus, diuturnior erit & minus securus. In coacis prænotionibus vrina bonum sedimentum habens & de repente non habens laborem & mutationem significat: Quia hæc inæqualitas, aut materiæ arguit inęqualitatem, cuius portio coquitur, portio propter malignitatem & contumaciam coctionem præterfugit aut natiui caloris imbecilitatē. Postremo debet laudabilis hypostasis esse moderate crassa: ex ea namque crassitie caloris robur indicatur, cuius imperio τὰ ὁμογενῆ congregātur & τὰ ἑτερογενῆ segregantur: His quatuor dotibus exornata hypostasis quocunque morbi die appareat, perpetuo salutaris & expetenda venit; Huic prima salutis & securitatis debetur laus: Hæc vt præclare annotauit Hip. apho. 26. sect. 2. prog. ἀσφαλέα τε καὶ νόσημα ὀλιγοχρόνιον ἔσεσθαι σημαίνει, id est morbi securitatem & breuitatem significat. De nubeculis & encoremate albis æqualibusque idē fere esto iudiciū: coctionis enim incoatæ, sed aliquantulum debilioris signa in his lucēt. Proximum huic sedimēto albo est rubrum quod progn. 27. sect. 2. salutarē quidem morbū, sed paulo diuturniorem indicat. salutarem quod à salutari humore, sanguine quippe exsuperante fiat, diuturniorem, quod serosus ille sanguis non tam cito coctionem admittat. De sedimēto rubro scripsit etiā aphor. 71. sect 4. aphor. his verbis. Quibus die septimo morbi iudicantur, iis vrina rubram die quarto nubeculā habet Hypostasis nigra, aspera inæqualis, semper pessima Nigra vel maximū denotat incendiū, vel exstinctionē caloris natiui. Id autē intellige in febrib. acutis. Nā hypostasis nigra sine acuta febre, nec mortē nec pericul[um]

pro

3. conditio vt æqualis sit.

4. conditio vt sit moderate crassa.

De rubro sedimento quid denotet.

Hypostasis nigra

promitti, denotat plerumque quartanam febrem eiusq; prænuntia esse solet. Hoc docuit me diuinus senex in coa. prænotionib. τὰ δὲ ἐν πλανώδεσι πυρετοῖσι μέλανα νεφέλη τεταρταῖον, Sedimentum nigrum in erraticis febribus, quartanam denũtiat. Aspera hypostasis morbifici succi contumaciã indicat. Quod si inæqualis sit & dissimilaris, coctionis difficultaten arguit. Inæquale hanc hypostasin solet Hippoc. variegatam appellare. Historia prima lib. 1 epid. Philiscus variegatam & nigram minxit vrinam, sexto morbi die interiit. Variegatum porro & inæquale sedimentum tribus modis interpretor, in colore, in figura, in consistentia, in colore, cum modo album, modo rubrum, modo nigrũ apparet, in figura, nunc στρογγύλον, id est, rotundũ, nunc διεσπασμένον, id est, diuulsum dispersumue, in consistentia nunc crassum, nunc tenue. Omnis illa inæqualitas δυσκρισίαν perpetuo indicat. Atque hæc de contentis quæ cum vtrina ortum perfectionemque habent & de illius essentia sunt. Sunt alia contenta quæ aliunde veniunt & ipsi vrinæ permiscentur: Adueniunt, aut ab vniuerso corpore, vt à colliquatione solidarũ partium, hinc contentum multiplex, pingue, oleaceũ, pultaceũ, ernosum, lamineum, furfuraceum: aut ab aliqua parte, vt hepate, liene, renibus, vesica. Sunt autem ea, quæ permiscentur, varia, ramenta, pili, carunculæ, arenulæ, squammæ, sanguis, pituita, crassus humor, pus, semen, telæ aranearum & similia. Horum omnium causa vniuersalis est calor liquefaciens, torrefaciens, putrefaciens. A calore liquante & dissoluente, vrinæ pingues sunt, oleosæ, pultaceæ, lamineæ: A calore vrente arenulæ, calculi, pili: A putrefaciente fœtidæ & purulentæ. Pingues vrinæ vt plurimũ sunt lethales, quia συντήξιος, id est, colliquationis signa sunt & Hippoc. eas vrinas pestilentes solet appellare, in prog. πονηρὸν τὸ ἐλαιῶδες οὐρούμενον prauã est vrina, quæ oleosa meiendo emittitur. Pultaceum sedimentum, si sit à colliquatione carnosi generis, perpetuo est lethale: sin ab ingenti calore sanguinem perurente, morbi longitudinem prænuntiat. aphor. 31. sect. 7. Quibus febricitãtibus in vrinis subsidentiæ crassiores polentæ similes fiunt, longũ morbum significant. Æger secundus sect. 3. lib. 1. epid. Silenus pultaceũ minxit, apparuit illi ὑποστάσεις λειμώδεες, ἑνδεκάτῃ ἀπέθανεν vndecimo die interiit. Lamineũ sedimẽtum aut à colliquatione fit, aut ab

erosione,

Aspera hypostasis.

Inæqualis.

Inæqualitas triplex.

Cõtenta quæ aliũde veniũt.

Vrinæ pingues.

Pultaceũ sedimentũ.

Lamineũ.

erosione, illud lethale, hoc vlceris tantũ indiciũ est illud sine fœtore est, hoc fœtidissimum esse solet, aph.81. sect.4 Furfuraceum aut ab ingenti feruore fit, estque θανάσιμον, aut ab vlcere & scabie vesicæ, aph.97. sect. eiusdem. Sunt hæc igitur κρίσιμα omnia & lethalia, & salutaria, quæ ex vrinæ contentis & liquore peti possunt. Quoniam vero multa sunt quæ vrin ĩammutant, ne in prognosi decipiatur medicus, aut præceps & temerarium sit eius de coctione & cruditate iudicium, cautiones hæ adhibendæ sunt quæ sequenti capite describentur.

Furfuraceum.

Priusquam de vrinarum coctione & cruditate suum proferat iudicium medicus, Quid obseruare debeat.

Cap. X.

EXcipiatur ex Galeni mandato cõment, 2. progn. eius qui acuta febre laborat vrina, quauis diei hora eaq; tota mox in matulam pellucidam, ęqualem, tersam, alieni coloris expertem, magnam & oblongam immittatur. Ex ceptæ vrinæ liquor statim conspiciatur, turbidus ne an perspicuus sit, non tamen de morbi euentu statim sententiam ferat medicus, quia inest adhuc alienus color nullaq; apparent contenta à calore diuulsa. Quiescat vrina & resideat per horam, idque in loco temperato, non ventis perflato, nequid permisceatur, non frigidissimo, ne crassior euadat, non radiis solaribus exposito, ne immutetur eius color, Inspiciatur autem quauis diei hora. Hip. in historia Endemici sub hortum solis vrinam conspexit, si quid interdiu meieret seruari iussit, si forte turbetur vrina, aut sponte, aut frigoris vi, igne dissoluatur. Quod si dissolui nequeat, verisimile est talẽ excretam fuisse. Rhazis 23. continentis hæc tradit signa, quibus vtraq; vrina internosci possit. Quę mingitur clara & postea turbatur, alba est: & cõcreta pinguedinis instar nullam habet perspicuitatẽ, parietib. matulę adhæret, illosq; maculis quibusdã non obscuris inficit, quæ omnia vrinæ, quę turbida meiitur, non conueniunt. Dum vrinam inspicit medicus,

De vrinis perturbatis notæ.

manum ponat ex aduerso matulæ, vt radij omnes colligantur tanquam in speculo; sit autem visio in mediocri distantia: remotior enim tenuiores, propinquior crassiores visui ostendat. Si tenuis appareat vrina & alba cum nubecula aut eneoremate diuulsis, vel cum nullo contẽto, crudum esse morbum tuto pronuntiet, sin mediocriter crassa, cum hypostasi alba, læui, æquali, securitatem & celeritatem cryseως polliceatur. Interea caueat medicus ne decipiatur ab his quæ vrinæ liquorem & contenta immutare solent: sæpe enim à caussis non naturalibus, naturalibus & præter naturam alteratur vrina, quæ nihil lethale, nec sinistri præse fert. Inter causas non naturales agnosco cibum & potum: sæpe ab vsu pulticulæ siligineæ aut lactis, vrinæ albæ funduntur, vt ab vsu pulticulæ leporinæ nigræ: Rheubarbarum, crocus, rubia tinctorum suo colore vrinam inficiunt: Asparagus, terebinthina alieno perfundũt odore, liberalior aquæ potus tenuem crudamque profundit vrinam. Hæc omnia sinistri nihil, nec δυσκριτον præ se ferunt peruertunt tamen iudicium medici, iisque præsentibus de morbi euentu nihil certum statui potest. Ad naturales causas refero ætatem sexum, temperiem, vnde vrinarum varietas: Puerorum vrinæ albæ sunt, crassæ & cum multo sedimento, iuuenũ tenues & flauæ, senum, albæ, tenues, virorum vrinæ coloratiores sunt quam mulierum, sanguineorum, mediocriter crassæ biliosorum tenues, cum eneoremate potius qui hypostasi, pituitosorum crassæ, albæ, cum crasso & multo sedimento, melancholicorum, crassiusculæ. Postremo ab iis quæ præter naturam sunt immutatur vrina vt ab vlcere renum & vesicæ: ita enim nunc crassæ nunc cruentæ, nunc purulentæ effluunt. Hæc omnia si attente obseruet prudens medicus vix in prognosi decipietur.

Cautiones adhibẽdæ ne in vrinarũ iudiciis fallatur medicus.

Causæ non naturales quæ vrinam immutãt.

Causæ naturales.

Sequitur tabella de coctionis signis.

- Coctionis signa in urinis maxime lucet: in urina autem duo obseruantur.
  - Liquor in quo hæc spectanda
    - Substãtia ad quã refero.
      - Corpus cuius ratione urina ducitur
        - Tenuis arguit
          - in imbecillitate virium, mortem,
          - in constantia, longitudinem, abscessum relapsum.
        - Crassa
          - Mediocriter securitatem.
          - in excessu dolorem.
          - longitudinẽ indicat.
      - Perspicuitatẽ hinc urina
        - Perspicua, quam visus acies penetrat.
        - Turbida triplex
          - Aut clara mingitur, deinde turbatur, coctionis rudimentum arguit
          - Aut, turbata mingitur & mox fit lympida, signũ vincentis naturæ.
          - Aut turbida mingitur & manet, dolorẽ capitis, deliriũ, mortem minatur.
    - Qualitas, quæ in colore lucet maxime: colores autem sunt
      - Extremi
        - Albus
          - Sine febre, nihil lethale præ se fert
          - Cum febre, arguit hepatis incendium. trãslationẽ bilis & caloris imbecillitatem.
        - Niger talis est
          - Generatione, arguit aut incendiũ, aut exstinctionem.
          - Mixtione alieni humoris, salutaris interdum est.
      - Medij sunt: viridis ceruleus præruber &c.

- *B. Contentum est quicquid crassius in vrinis consistit. Hoc duplex*
  - *Aut de vrinæ substãtia triplex pro vario situ statui solet.*
    - *Hypostasis in imo subsidet, ea duplex.*
      - *Salutaris cuius notæ sunt 4. Debet enim esse*
        - *Alba, quia manat à solidis partibus.*
        - *Læuis & sibi cohærens, vt materiæ bonitatem indicet*
        - *Aequalis seu similaris.*
        - *Moderate crassæ vt caloris imperium denotet.*
      - *Lethalis quæ est*
        - *Nigra* / *Aspera* — *incendio* / *exstinctione.*
        - *Inæqualis*
          - *In colore cum modo nigra, modo rubra*
          - *In figura nunc rotunda, nunc diuulsa.*
          - *In consistentia, nunc crassa, nunc tenuis.*
    - *Eneorema in medio propendet*
    - *Nubes summa facie innatat.*
  - *Aut aliũ de adueniens scilicet.*
    - *Ab vniuerso corpore hinc contentũ*
      - *Pingue oleaceũ*
      - *Pultaceũ*
      - *Lamineũ*
      - *Eruosum*
    - *Ab aliqua parte*
      - *Hepate liene renibus vesica.*
    - *Horum omniũ causa vniuersalis est calor.*
      - *Liquefaciens à quo pingues, oleosæ, pultaceæ vrinæ*
      - *Torrefaciens à quo arenulæ, calculi, pili.*
      - *Putrefaciens à quo fœtidæ & purulentæ.*

De aliis signis tempus & diem indicantibus.

Cap. XI.

EX coctionis & cruditatis signis celeritatem ac secu-
ritatem criseωs tuto prænũtiari posse iam à nobis cõ
fectum est: Nunc quibus notis criseωs dies indicari quea
& pari ne an impari iudicaturus sit morb. breuiter ape
riamus. In morbo tria considerantur, idea morbi, more
& motus. Ideam seu speciem detegunt signa καθογνωμό-
νικα, mores ἐπιφαινόμενα, motum ἐπιγινόμενα. Qui morb
celeriter & vehementer mouentur, hi celeriter iudican
tur. Extreme peracuti primo quaternario, peracuti prim
septenario, acuti simpliciter 14. die, quod longissimum e
acuti ἐκ μεταπτώσεως, id est, ex decidentia ad quadragesi
mũ vsq; diẽ prorogari possunt. Itaq; ex morbi motu ta
ditas aut celeritas criseos prænuntiatur. Idem motus, di
crisis, pari ne an impari contingere debeat, certo indica
Nã cum in statu tantũ & paroxysmi exacerbatione fian
crises, nunquam in principio nec in declinatione; San
si paribus diebus exacerbetur morbus, pari die sperand
erit crisis, si imparib. impari. Hoc docuit Hipp. sect. 3. lil
3. epid. τὰ δὲ παροξυνόμενα ἐν ἀρτίῃσι κρίνεται ἐν ἀρτίῃσιν. ὧν δὲ
παροξυσμοὶ ἐν περισσῇσι κρίνεται ἐν περισσῇσιν, id est, Quæ pari
bus diebus exacerbantur, paribus iudicantur: at quorur
exacerbationes in imparibus fiunt, ea imparibus iudicã
tur. Philiscus sexto die ad mortem iudicatus est. οἱ παρο
ξυσμοὶ ἐν ἀρτίῃσιν, inquit Hipp. erant illi exacerbatione
diebus paribus. Larissea virgo sect. 3. lib. 2. epid. 6. die pe
fecte ad salutem iudicata est, at huic dolores parib. die
bus contigerunt. Pythion dieb. paribus exacerbatione
habuit, decimo die mortuus est. Huius rei euidens de
monstratio est. Cum enim in crisi validum sit naturæ &
morbi certamen, pugnentq; mutuo, exemplo gladiator
pariter dimicantium, necesse est eo die crisin contingere
quo vires acquirit morbus, id autem in exacerbatione f
Hoc apertissimis verbis expressit Gale. lib. 3. de crisibu
Crisis (inquit) in idem tempus incidit cum accessione, &
raro accidit vt leuiori die fiat crisis, vt videatur bis tant
Archigenes toto ætatis suæ decursu id obseruasse, ego v

Tria in morbo spectanda.

Motus morbi indicat pari ne an impari die crisis cõtingere debeat.

Sect. 3. lib. 1. ep. æger primus.

Aeger 11 sect. 3. lib. 3. epid.

Demonstratio.

ro ad hanc horā semel tantum, & capite decimo eiusdē libri, optimæ crises in statu fiunt, in augmēto vero si salus sit subsequutura, vel imperfectæ, vel non securæ, in principio nunquam fiunt. Addamus nos ad huius rei illustrationem duo ad perfectā crisin requiri, stimulum & coctionem, at in morbi exacerbatione duo hæc contingūt, irritatur enim in paroxysmo natura, circa statū vero coctus est humor. Sunt hæc igitur signa antecedētia ad tēpus & diem crisis apparentia, quæ ex vrinarum coctione & morbi motu petuntur. coctio celeritatem & securitatem, motus paritatem & imparitatē criseos prænuntiat. Diem vero proximum, ipsamque iam instantem crisin indicant signa perturbationis criticæ quæ pro varia excretionis specie varia exsistunt, solent tamen in vniuersum hæc omnia crisin præcedere, capitis dolor ingens, ἀλυσμὸς id est, iactatio & anxitudo incredibilis, sitis inexplebilis, difficultas spirandi, pulsus inæqualitas, quæ omnia τῆς δυσφορίας nomine designauit Hip. aphor. 13. sect. 2. Οκόσοισιν ἡ κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δυσφορος ἡ πρὸ τῆς παροξυσμοῦ id est, Quibus crisis fit, his nox grauis ante accessionē. Quod si interdiu hæc appareant, crisis nocturna speranda est.

Signa quæ iam instantē crisin indicant.

De signis antecedentibus quę speciem crisis in vniuersum prænuntiant.

Cap. XII.

Non satis est ex morbi motu & coctionis signis, tempus diemq; criseos prænuntiasse. Periti est artificis speciem crisin propriis signis quasi digito indicare. Species crisis duplex omnino est, excretio & abscessus, excretio in acutis, accessus in diuturnis sæpius cōtingit. Excretionis differentiæ sunt, sanguinis fluxus per nares, vterum, hæmorrhoidas, vomitus, sudor, alui & vrinæ profluuium. Abscessus nomine φύματα etiā cōplector & quæ sub cute erumpunt. Excretionis & abscessus signa prius tradam vniuersalia, mox cuiusq; speciei propria. Vniuersalia, ex morbi specie, motu, parte affecta, ægrotantis natura, ætate, temperie petenda sunt. Si speciem morbi cōsideres, calidi per excretionem iudicari solent: Frigidi

Signa vniuersalia ex quibus petenda.

vero per abſceſſus, quia in calidis affectibus omnes excretionis opportunitates lucent: Frigidi & difficilius coquuntur & ad motum pigri eſſe ſolent. Sic caſus apud Hipp. ſudore aut hæmorrhagia ſoluitur, non abſceſſu.

Motus morbi indicat ſpeciē criſis.

Si motum ſpectes morbi, acuti per excretionem, diuturni per abſceſſus iudicantur. Acutorum ſiquidem natura in celeri & vehemēti motu conſiſtit vt diuturnorū in tardo.

Obiectio.

Obiicies diuturnos morbos ſæpe excretione iudicari: ſic tertio epid. Nicodemus 24. die per vrinas, virgo Abderitana per ſudores ſeptuag. Anaxion per ſudores 34. Cleanatides octogeſimo riguit, multum ſudauit, perfectè iudicatus eſt.

Solutio.

Expedita reſponſio eſt, ſolutiones eas quæ in morbis longis per excretionem fiunt, non fieri cōtinuato morbi acumine ſed dum modo remittit, modo exacerbatur, vnde acceſſiones interdum acutę fiunt, in quibus excretionē fieri nihil prohibet.

Pars affecta ſpeciem indicat.

Pars affecta excretionis etiā ſpeciem ſolet indicare. Si hepatis conuexa inflāmatione obſideantur, exſpectāda erit criſis, aut per hæmorrhagiā è nare dextra κατ' ἴξιν, aut per vrinæ profluuium; ſin caua afficiantur, alui fluxu, aut vomitu, aut ſudore potius ſoluetur morbus. Inflammationes cerebri & capitis totius, prorupto è naribus ſanguine ſæpe iudicātur, eo enim deſinunt extrema vaſorum: Meſenterij & ventriculi phlegmonas vomitus & alui fluxus ſuperuenientes ſanant. & apud Hipp. lypiria febris, quę ab eriſipelate & inflāmatione ventriculi excitatur, cholera ſuperueniente exſoluitur, id eſt, prægrandi & citabilis vacuatione ſurſum deorſumq;

Aegri natura ſpeciem criſis demōſtrat.

Poſtremo ex ægrotantis ætate & temperie excretionis ſpeciem præſagiet Medicus. Nam iuuenibus febre ardēte correptis hæmorrhagiæ vt plurimū contingunt ſenibus vero alui profluuia. Id confirmat Hipp. hiſtoria tertia vniuerſali lib 1. epid. αἱμοῤῥαγίαι, inquit, δὲ τοῖσι πλείστοισι, μάλιστα δὲ μειρακίοισι καὶ ἀκμάζουσι, πρεσβυτέροισι δὲ κοιλίαι ταραχώδεες: id eſt, proruptæ ſunt plurimis hæmorrhagiæ, potiſſimum vero adoleſcentibus & ætate florentibus; ſenibus autem perturbationes aluinæ & dyſenteriæ Rationē affert Galenus, quia iuuenum humores bilioſi ſunt, tenuiſſimi & acerrimi proptereaq; ἀνάῤῥοποι ſenū vero pituitoſi & κατάῤῥοποι. Atq; hæc ſunt excretionis futuræ ſigna vniuerſalia, nunc quæ ſint cuiuſque ſpeciei propria explicemus.

Signa quæ apparent ad futuram hæmorrhagiam.

CAP. XIII.

CRiseως species omnes, vnico aphor. complexus est mirus Hipp.his verbis. τὰ ὀξέα κρίνεται αἵματος ἐκ ῥινῶν ῥυέντος καὶ ἱδρῶτος πολλοῦ γενομένου, καὶ οὔρου πυώδεος, καὶ κοιλίης μυξώδεος καὶ αἱματώδεος, καὶ ἐμέτων, καὶ ἀποστήματος ἀξιολόγου, id est, Morbi acuti iudicātur sanguine è naribus prorupto, sudore item multo, vrina purulenta, aluo muccosa & cruenta, vomitionibus & abscessu cōmemorabili. Hæmorrhagia prima est species crisis, quæ febres ardentes, præcordiorum & viscerum omnium phlegmonas perfectè iudicat, constitutione tertia lib. 1. epi. Quibus acute febricitātibus sanguis per nares erupit, hi periculo morbi defuncti sunt, nec quenquā eorum vidi (inquit Hipp.) qui in ea constitutione interierit. Methon quinto die prorupto è naribus sanguine ad salutem iudicatus est. Laryssea virgo febre correpta καυσώδει, sexto die quantūuis tyrāno, per liberalem hæmorrhagiā è naribus, febris expers, perfecte iudicata est. Huius hæmorrhagiæ criticæ iam futuræ signa, primus omnium aperuit Hipp. historia secunda vniuersali sect. 2. lib. 1. epid. nec non in coacis prænotionibus, & progn. Si cui (inquit) febricitanti rubore suffundatur facies, capitis adsit dolor prægrandis & vna venarum emicet pulsus, profluuiū sanguinis è narib. exspectare oportet addit in epid. ὑποχονδρίου ξύντασιν, τραχήλου πόνον κροτάφων βάρος καὶ σκότωμα, id est, hypochondrij distentionem, colli dolorem, temporum grauitatē & caliginosam vertiginem. Quæ singula ad lydium, vt aiunt, lapidem & veritatis libellā reuocare placet. Rubet primū facies, quia transfertur humor ab inferioribus partib. ad superiores qui mox per nares exitum sibi parat: Excurrunt enim ad extimas vsq; nares venarū internarum & externarū riuuli. Rubor hic sanguinis arguit præsentiam, quia ex libello περὶ χυμῶν. Qualis humor, talis color in cute efflorescit. Dolent caput & collum, ob eandem humoris morbifici translationē, qui mēbranosas partes exquisitissimi sensus diuellens distendensq; doloris sensum parit, sed dolor ille

Aeger sect. 3. li. 1. epid.

Aeger 12 sect. 3. li. 3. epid.

Cur rubet facies.

Cur dolet caput.

grauis est & lancinans grauis quia ab humore benigno, lancinās ratione membranarum. Pulsant venæ tẽporum, id est, micant arteriæ (solet enim sæpissime arterias venas appellare Hippoc. vt tertio de morbis φλέβες σφύζουσι & in progn. φλέβες ἐχ ἰδρυμέναι venæ non conquiescentes: At certum est venas diastoles & systoles motu non agitari.) Pulsant inquam arteriæ dum in procinctu est hæmorrhagia, extraordinario motu, propter earum compressionem, quæ à particulari venarum repletione fit: Sic phlegmone omnis ob eandem arteriarum compressionem, pulsum aspectabilem & tractabilem habet perpetuo comitem. Est & aliud iamiam futuræ hæmorrhagiæ signum ἀμβλυωγμὸς visus hebetudo, lucem tunc auersantur oculi, lacrymæ profundũtur inuolũtariæ, & vt scripsit Hippoc progn. 33. sect. 3. μαρμαρυγαὶ προφαίνονται marmariges ante oculos obuersantur: Appello marmariges minutula & diuulsa quædam corpuscula maculis marmorũ similia: Hebetudinis porro causa est, quia copiosus & crassus ad superiora elatus spiritus meatus obstruit, vnde fit vt denegato aditu spiritui animali, hebescat visus: Apparent autem in aere corpuscula & permixti colores varij qui tamen intra corneam sunt & crystalloidem, ex humoris sursum translati vaporibus, qui licet interni sint, externi tamen apparent, quia crystallinus humor externę assuetus visioni quæcumque intus sũt, extra esse iudicat, Neque vero oculis tantum sed etiam cerebro & imaginationi visa apparent mendacia, ex quibus iamiam futuram hæmorrhagiã prædicere potest medicus. Sic Gal. lib. de prænoscẽdo iuueni cuidã acute febricitãti prędixit erupturum è naribus sanguinem, cum medici de sanguinis missione contenderent, iuuenem scilicet è lecto exsilientem subito viderat, rogatus autem qua de causa exsiliret, cum nihil adesset metuendum: Respondit rubrum serpentem ex regula irrepentem se vidisse, ideoque aufugisse ne aberrās super ipsum delaberetur. Postremum hæmorrhagiæ instantis signum est ὑποχονδρίου ξύντασις, hypochondrij distentio fugax, & sine dolore cum spirandi difficultate. Distenditur porro hypochondrium, id est, hepar & intumescit ob sanguinis motũ, qui in suo fonte & venarũ radicib. moueri incipit: at hepar θησαυρισμὸς est sanguinis, αἱματώσεως officina, τῶν φλεβῶν ῥίζωμα Hipop. libello de Alimento: Difficilis autẽ redditur spiratio quia dum

Vnde pulsus arteriarum.

Cur oculi caligant.

Hypochōdrij distentio cur.

ad

ad superiores partes viam affectat sanguis, diaphragma princeps liberæ respirationis organum premit, sed fugax est ea respiratio, vt & hypochondrij tensio, si enim perseuerarent hæc duo, cum dolore, hepatis inflammati indicia essent. Addit & alia signa Gal. aurium tinnitum, ex vaporibus sursum elatis, ceruicis tensionem, narium titillationem, adde iuuenibus à decimo octauo ad trigesimum ætatis annum, biliosis, febre acuta correptis.

De signis quæ sudorem criticum prænuntiant.

Cap. XIV.

Est altera criseως species naturæ maxime familiaris & consueta, quæ febres ardentes viscerumque omniũ phlegmonas sępe soluit, sudor quippe calidus, copiosus, vniuersalis: Huic si κατὰ λόγον suscipiatur, maxima debetur salutis laus. Sudoris huius critici iamiam futuri signa duo sunt apud Hippoc. vrinę suppressio & rigor: De vrinę supressione critica meminit sæpe in prog. sed eam elegãter descripsit sect. 1. li. 6. epid. his verbis πρὸ ῥιγέως αἱ ἐπισχέσεις τῶν οὔρων ἢν ἐκ χρηστῶν ἔωσι, id est, Ante rigorẽ (id est sudorem qui proxime rigorem sequitur) vrinarum suppressiones si ex bonis fuerint. Cur autem suppressio hæc sudoris prænuntia sit, hæc mihi videtur ratio, quod vrinæ & sudoris eadẽ sit materia, ὀῤῥὸν scilicet τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν, serum eorum, qui in venis cõtinẽtur humorum: si ergo serosi humoris fiat in vniuersum corporis habitum translatio, aut supprimetur vrina aut saltem exigua erit illius quantitas, propterea qui multum sudant, parum meiunt & contra. Alterum futuri sudoris signũ est rigor: Rigoris causa est seri acrimonia panniculum neruosum (vulgus carnosum vocat improprie) exquisitissimi sensus vellicans. Rigorem hunc tandẽ sequitur sudor. Do eo rigore critico ita scripsit Hippoc. aphor. 58. sect. 4. ὑπὸ καύσου ἐχομένῳ ῥῖγος ἐπιγινομένου λύσις, id est, febre ardente occupato rigor superueniens eam soluit. Addunt recentiores pulsum mollem, fluctuantem & vndosum, extima omnia his calẽt, facies rubescit, sẽtiturque è corpore calidus quidã vapor copios⁹ efferri. Signa hec critica ex pulsibus nõ descripsit Hipp.) vt annotauit Gal. 3. de crisibus vel q̃a ignorabat vel q̃a nõ existimabat magni momẽti-

Sudoris critici signa duo.

1. Vrinæ suppressio.

Alterum signũ est rigor.

Alia signa sudoris.

Sunt qui ex insomniis sudoris mox erumpentis signa colligant. Nonnulli, (inquit Gal. libello de dignotione ex insomniis (quibus per sudores morbus finiendus erat, lauari & in aquæ calidæ lacu natare se somniarunt. Somnia hæc naturalia sunt & συγκριμματικά, sequũtur quippe κρᾶσιν & humoris prædominantis naturam. addit Auic. prærubrum vrinæ colorem.

De signis futuræ vomitionis & deiectionis aluinæ

Cap. XV.

Ventriculi, intestinorum', mesenterij & hypochondriorum phlegmones superueniente vomitu aut alui deiectione sæpe curãtur. Est igitur vtraque vacuatio inter species criseωn numerãda. Vtriusq; imminẽtis signa hæc sunt apud Hippocratem. vomitionis quidem ἄσαι, καρδιωγμοὶ, πτυαλισμοὶ, τὸ ὀρφνῶδες, id est fastidia, cordis morsus, crebræ saliuæ, tenebricosa visio. Iactatio primum adest eaque cum nausea, ob bilẽ in ventriculo stabulantem ἴσχει (inquit Gal.) τὸ στόμα τῆς γαστρὸς ὑπὸ μοχθηρῶν δάκνηται χυμῶν, id est cum vẽtriculi os à prauis vellicatur & mordetur humoribus. Ab eadem causa καρδιογμὸ excitatur, morsus cordis, id est, oris superioris ventriculi, quod veteres Greci καρδίαν appellauerũt, qa maxima est eius cũ corde συμπάθεια, & symptomata inuehere solet cardiaca, id autem refero ad sensũ eius exquisitissimum, quẽ nerui duo insignes stomachici dicti à sexta coniugatione orti impertiuntur. Est tertium iamiam futuræ vomitionis signũ πτυαλισμὸς sputatio frequens. quæ fit exundante humore à ventriculo in os, idque per interiorem tunicam, quam ventriculo & ori continuam esse docet anatome. Apparet etiam præ oculis obscurum quidpiam ob fumidum vaporem, qui ab impuro ventriculo exhalat. Addamus nos alia signa, labri scilicet inferioris palpitationem, linguæ amarorem, crebram horrescendi & subsusandi vicissitudinem, partes infra hypochondrium frigidiores, cordis παλμὸν, spirandi difficultatem, durũ pulsum & inæqualem, acutum capitis dolorem, cuius causam refert Gal. ad vaporis biliosi acrimoniam, nec non ad sympathiam membranarum cerebri & totius neruosi generis.

Vomitionis signa.

Primum

Secundum.

Tertiũ.

Diarrhœæ

Diarrhœæ vero signa aperuit Hippoc. in coacis præno-
tionibus his verbis οἷσι δὲ ἐρευγμοὶ, φῦσαι, ψόφοι κοιλίης καὶ ἐπάρ- Signa di
σις, ἐκ ταράξις κοιλίης, id est, Quibus ructus, flatus, crepitus arrhœæ.
ventris, eiusdemque inflatio, his rapide fertur aluus: Ar-
guunt enim hæc omnia translatum humorem à maiori-
bus vasis & à toto corpore in mesenterij venas, & ab his
in intestina, vnde rugitus & inflatio ventris. Addit in
Epid. Hip. lumborum dolorem: Est autem dolor ille sym-
pathicus per mesocoli continuitatē, quod à ligamentis,
quæ lumborum vertebras connectunt, oritur. Ex pulsu
& vrina, signa diarrhœæ instantis petunt Arabes, pulsum
paruum & frequentem esse volunt, vrinas vero te-
nues & albas apparere, translata quippe ad aluum &
intestina copiosissima abile: Supprimitur etiam quando-
que vrina: quia vt mictio noctu plurrima facta paruam
deiectionem denotat, aphor. vltimo sect. 4. ita si profu-
sior futura sit aluus, aut supprimetur vrina, aut exigua
illius erit quantitas.

De signis perirrhiæ, id est, vrinarum profluuij

Cap. XVI.

PEr vrinas vniuersum corpus expurgari & grauissimo- Multi-
rum virorum auctoritas & experientia ipsa fidem plex vri-
faciunt. Multos acuto morbo laborantes vrinæ proflu- næ mate
uio superueniente perfecte sanatos sæpe obseruauimus ria.
Non enim vnicam vrinæ agnoscimus materiam, potum
scilicet (vt voluerunt quidam) sed, nunc serum qua- Quid
tuor, qui in venis continentur, humorum, (propterea οὖρον vrina.
definit Gal. ὀῤῥὸν τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν.) nūc humores
omnes biliosos, pituitosos, melancholicos. Solet (inquit) Vrinæ
Gal. commentario in primum epid.) vniuersum corpus pro flu-
deponere περιουσίαν τῶν μοχθηρῶν χυμῶν, id est, paruorū hu uium cri
morum varietatem & abundantiam per vrinas. Est ergo ticum
περίῤῥοια quædam critica, eaque vniuersalis, per quam v- Lieno
niuersum corpus totumque venosum genus expurgatur, osi perir
cuius meminit Hippoc. sect. 2. libr. 1. epid. πολλοῖσι (inquit) rhœ à
δὲ περίῤῥοιαι μετὰ πόνου χολώδεες ὑδατώδεες ξυσματώδεες οὐ νεφρι- curātur
τικαὶ, ἀλλὰ τουτέοισιν ἀντ' ἄλλων ἄλλα, id est, multi vrinas pro
fundebāt cū dolore biliosas, aqueas, abradētes quæ tamen
non erant nephriticæ, sed his alia pro aliis. Est & περίῤῥοια

quædam critica particularis, quæ partis cuiusdam affectũ sanat. Sic lienosos multos vrinarum nigrarum liberali profusione sanatos vidimus: Erant autem eorum vrinæ nigræ. non γνήσιαι, (quia tales cum aut incendium maximum denotẽt, aut natiui caloris exstinctionem perpetuo sunt lethales, (sed permissione humoris atri, quem lien expurgabat & deponebat in renes. Thoracis affectus quãplurimi per vrinas salutariter iudicantur: Pleuritidis, peri pneumoniæ, empyematis, materia per renes & vesicã sæpe expurgatur. Hoc obseruauit Hippoc. sect. 3. lib. 3. epidi cõstitutione pestilenti. τῶν (inquit) περὶ πλεύμονα πάντων διάδοσις κάτω, id est, omnium quæ circa pulmonem erant, in inferiora erat decubitus. Gal. eam thoracis per vrinas expurgationẽ confirmat cap. 4. lib. 6. de locis affectis. Negant (inquit) quidam abscessu in pul mone orto pus expurgari posse per renes. Nos vero pulmonis vomicam per vrinas expurgari vidimus sæpe, & ante Galeni tempora eam puris per renes expurgationem agnouerat Diocles: Mesueus vero & Rhazius eius meminere. Quomodo autem & per quas vias id fiat, lib. 3. cõtrouersiarum nostrarum anatomicarum aperuimus: docuimus enim per arterias & sinistrum cordis ventriculum expurgationem eam fieri posse: id clarissimorum virorum auctoritatibus & historiis fide dignis illustrauimus. Statuatur ergo οὐρόῤῥοια species quædam crisis Eius autẽ signa nulla tradidit Hippoc. Nos ex reliquarum specierum priuatione ea colligemus, ita monente Gal. si enim hæmorrhagiæ, sudoris, vomitus, deiectionis aluinæ nulla signa luceãt, præcesserint autem & coctionis & perturbationis criticæ signa, verisimile est, per vrinæ profluuium morbum iudicatum iri, maxime vero si grauitas in hypogastrio & ardor in extremo pudendi persentiantur, si item toto morbi decursu copiosas, & crassas minxerit vrinas, adde senilem ætatem, & tempestatem hybernam.

Thoracis affectus per vrinas indicantur.

Expurgatio empyricorũ per vrinas.

Signa vrinæ pro fluuii.

* * *

De sanguinis expurgatione per uterum & per hęmorrhoidales venas earumque signis.

Cap. XVII.

SVpersunt excretiones duæ criticæ, profluuium menstruale & hęmorrhoides: Illud mulieres plerasq; acuto morbo laborantes perfecte iudicare solet testē habeo locupletissimum Hip. consti. 3. li. 1. Epid. Mulieres, inquit, quibus die critico menses eruperunt omnes periculo morbi defunctæ sunt: nec vllam ex his quibus recte id contigit, mortuam vidi. Aphor. 158. Coa. prog. febrē soluunt sanguinis profluuia è naribus, aluus biliosa, copiosa vrina, genuū dolores ἐν γυναικὶ δὲ καὶ ἐπιμηνίων ῥύσις, idem quoque facit in fœmina profluuium menstruale. Mulier Thasia copioso exitu mensium à febre, conuulsionib. & graui periculo liberatur. Larisseam virginem, acuto morbo laborantem, prima menstruorum eruptio ab interitu vindicauit. Ne longum faciam, salutaris & critica est hęc excretio, si iure & loco perficiatur. Eius autem signa hæc tradidit Hipp. in Prorrh. æstum & grauitatem lumborū, hypogastrij dolorem & tensionem. Addit Gal. 3. de cris. certissima hæc esse indicia, si aliarum excretionum nulla apparuerint. Æstū porro & grauitatem lumborum persentiunt, ob copiam sanguinis eo confluentis, qui venam cauam lumborū vertebris superstratam distendit, à qua spermaticus & hypogastricus ramus vniuersū vteri corpus rigantes, scaturiunt. Sanguinis quæ per hæmorrhoidas fit vacuatio, non ita familiaris est, soluit tamen plerumque melancholicos omnes affectus, nec nō totius venosi generis & viscerum inflammationes. De melancholicis exstat aphor. 56. sect. 6. insanientibus varices & hæmorrhoides superuenientes insaniam soluunt. Venarum autem plethoram, per hæmorrhoidas vacuari sæpe obseruarunt medici. Hæmorrhoidum namque alias statuūt internas, alias externas, Illæ à ramis portæ, hæ à ramis cauæ oriuntur: illas cacochymię vacuatrices, has plethoræ depletrices vocant, Illæ mesenterij & hypochondrij sinistri. Hæ totius venosi generis affectus plerum

Mēstru a vacuatio plures ab interitu vindicauit.

Signa profluuij menstrualis.

Hæmorrhoidale profluuium

plerumque sanant. Huius excretionis quæ per hæmorrhoidas fit, signa nulla tradũtur, si tamẽ coctionis suo die, & perturbationis criticæ signa apparuerint, nullaq; sudoris vomitus, hæmorrhagiæ, diarrhœæ, perirrhœæ indicia obseruet medicus, & consueuerit, æger hæmorrhoidas pati, huic verisimile est mox esse fluxuras.

De altera specie crisis quæ fit per abscessus & quæ sint illius signa.

Cap. XVIII.

Morbi omnes aut per excretionem, aut per abcessus iudicari solent. Excretio in acutis, Abscessus in diuturnis sæpius contingit, acutorum namq; materia tenuis est, & natura satis valida. Itaq; humorẽ morbificũ nunc ἔξω per sudores, nunc ἔσω per vrinas, deiectiones, hæmorrhagiã excernit. At diuturni morbi causã agnoscunt, aut naturæ imbecillitatẽ, quæ humorẽ morbificum coquere, secernere, excernere nequit, aut humoris crassitiẽ: In his ergo sperabilis non est excretio, sed vel abscessus vel trãsitus in aliã morbi speciẽ. Abscessuum n. duæ sunt causę, altera ex parte agẽtis, altera ex parte materię. Agẽs natura est debilior, materia humor est crassus, aut copios⁹, qui à natura regi nõ potest: ex eorũ alterutro abscessus fiũt. Si tenues sint & calidi humores, non opus est facultate valida, sin frigidi, validũ naturæ robur requiritur. Quod si vtrũq; iungas, humoris scilicet crassitiem & naturæ imbecillitatẽ maximã, nec fiet excretio, nec abscessus, sed aut morietur æger, aut in aliã speciem transmutabitur morbus. Excretionis species omnes earũq; signa exposuimus, nunc quibus notis abscessum iamiã futurũ indicare possit medicus, aperiamus. Quoniam vero abscessus nomen in Hip. doctrina varium est ac multiplex, ne nobis homonymia imponat, singulę eius acceptiones distinguendæ sunt prius. Abscessus Gręcis ἀπόστασις si nomen spectes omnem humoris ab vna parte in aliã translationem denotat. At quicunq; humor transfertur, aut effluit, aut decũbit. Erit itaque duplex abscessus, alter κατ' ἐκροὴν, id est, per excretionem, alter κατ' ἀπόθεσιν, id est, per decubi

Diuturnitatis morbi causa duplex.

Abscessus causę duæ.

Abscessus significationes variæ.

Prima. Absceſs⁹ duplex.

decubitum. Hac fusa & ampla significatione omnis ex-
cretio abscessus appellabitur. Meminit abscessuũ qui per
excretionẽ fiunt Hip. in epid. sect. 1. li. 2. epid. Optimi (in-
quit) sunt abscessus, qui per effluxionem fiunt, velut san-
guis è narib. pus ex aure, sputum, vrina. Sect. 2. li. 1. epid.
multi abscessus oriebantur aut maiores quã ferre possẽt,
aut minores quam vt quicquam prodessent, erant autẽ 2. acceptio.
dyssenteriæ, lienteriæ, tenesmi, sudores. Nonnunquã ab
scessus trãsmutationem morbi in morbum significat, vt
sect. eadem ἔστι δ' οἷσιν οὐκ ὀλίγοισιν ἐξ ἄλλων πυρετῶν, καὶ νου- Tertia.
σημάτων ἀποστάσιες ἐς τεταρταίους ἐγένοντο. Quibusdã inquit nõ
paucis, ex aliis febrib. & morbis abscessus in quartanas
fiebant. Interdum abscessus nomen pro suppuratione v-
surpatur, vt aph. 36. sect. 1. prog. τὰς δὲ ἀποστασίας ἧσσον τὰ
ἐν τῇ γαστρὶ οἰδήματα ποιέεται, idest, Tumores in ventre mi-
nus faciunt abscessum quam in præcordiis. Abscessum Quarta.
interpretatur Gal. suppurationem. Sæpe abscessus, vitium
omne cutaneum, & quicquid sub cute erumpit à causa
interna denotat, vt eius tam late pateat significatio quã
phymatis. Hoc nomine tubercula omnia exanthemata,
ecthymata, furunculi, abscessus dicuntur. sic sect. 1. lib. 2.
epid. τὰ ὑπὸ δέρμα ἄφιστα μέγα ἐς τὸ ἔξω φύματα, ἀποστάσιες Quinta.
vocat. Sed proprie abscessus pro humoris decubitu, qui & propria abscessus significatio.
tumorem facit vsurpatur. Ita abscessum hic intelligendũ
putamus, cuius signa primum tradam vniuersalia, dein-
de particularia. Quæ abscessum in vniuersum prænun-
tiant, descripsit Hip. sect. 3. Prog. aphor. 23. 24. 25. 26. Si vi-
gesimum diem excesserit morbus, tunc expectandus ab- Signa abscessus vniuersalia.
scessus, adde ex eodem auctore, si nullus dolor affligat,
ob inflammationem, aut ob aliã manifestã caussam. Cũ
enim (vt interpretatur Gal.) triplex sit causa prorogatio-
nis febrium, pars affecta curatu difficilis, humor crudus
& crassus, aut aliquis error commissus ab ægro, medico,
astantibus, externis: Si nec affecta sit ea pars, nec error
vllus contigerit, sane longus erit morbus ob humores
crassos, quos cum per excretionẽ foras trudere nequeat
natura, eos in partem ignobiliorem pellere solet. Hoc
idem in Coac. prænot. scriptũ legitur: Quibus inuetera-
tio est morbi, abscessum dolorificũ imis in partibus ex-
spectare oportet, potissimum vero iunioribus. Et alibi: in
diuturnis febribus aut phymata fundi solent, aut in ar-
ticulis abscessus oriri. Et aphor. 44. sect. 4. quibus febres

longæ

longæ, iis tubercula ad articulos, vel dolores fiunt. Est aliud futuri abscessus signum, vrinæ scilicet tenues & cru dæ, toto morbi decursu cū salutaribus signis apparentes. Aph. 34. sect. 2. Prog. Qui tenuem crudáq; vrinam diutius mingunt, τουτέοισιν ἀπόστασιν δεῖ προσδέχεσθαι ἐς τὰ κάτω τῶν φρενῶν χωρία, abscessus expectare oportet in partes diaphragmate inferiores Inspicere etiam oportet anni cōstitutionē. Hyeme inquit Hipp. Prog. 29. sect. 3. abscessus frequentius contingunt, tardius cessant & minus recurrunt, frequentius cōtingunt, quia tunc temporis frigidus humor dominatur, tardius desinunt, ob humoris naturā & aeris circundantis frigus, minus recurrūt quia frigidus humor ad motum omnino ineptus est. Sed & abscessum præsagiet Medicus si excretionem incoatā viderit nō omnino perfectā: consueuit n. sæpæ natura excretionē critiā in abscessum conuertere: Quod ita docet Hip. 6. epid. partic. 2. καὶ ἢν μὲν τῶν ῥυέντων ἐγκαταλείπηται ἕτοιμον τὸ νόσημα πρὸς ἀπόστασιν, idest, si eorum quæ excernuntur superfit pars aliqua, tunc in abscessum morbus est facilis. Atq; hæc sunt abscessuum signa in vniuersum, nunc quæ pars, quis articulus superior, an inferior abscessum sususcipere debeat, videamus. Exoriuntur (inquit Hip. Prog. 66. sect. 2.) ad inferas quidem partes, quibus hypochodria incandescunt, ad superas autem, quibus hypochondrium quidem molle est & doloris expers, ipsi vero paulisper suspiriosi quiescunt sine causa, verum hæc de peripneumonicis tātū intellige. Nos ex humoris motu, naturæ im pulsu & meatuū sursum deorsūue spectantiū conditione & situ, superos, aut inferos abscessus certo cōiiciemus. Si tenuis sit humor, ad superores partes potius, si crassus ad inferiores viā affectabit. Si validū sit naturę robur κάτω, προσωτάτω & ἀξίως τῆς περιβολῆς, deorsū, procul & pro dignitate morbi fiet. Quinetiā si ante morbum pars quæpiam laborauerit, in eā morbus decūbet, apho. 33. sect. 4 Aphor. Spectare etiam debet Medicus meatuum sursum deorsumq; spectantiū conditionem & situm. Nam peculiaris est partium κοινωνία & rectitudo, per quam humoris decubitus non tam naturę robore, quam à forma humoris elementari fieri solet: fit autē motus qui elementarem formam sequitur ad perpendidulum st κατ'

Aliud signū futuri abscessus. (margin)

Tertiū signum. (margin)

Quartū. (margin)

Signa particularia abscessuum. (margin)

Sequitur tabula de signis futuræ excretionis criticæ.

- **Excretionis futuræ signa sunt.**
  - Vniuersalia quæ petuntur ex
    - Specie morbi
      - Calidi, per excretionem iudicantur
      - Frigidi, per abscessus.
    - Motu
      - Acuti, per excretiones
      - Diuturni, per abscessus
    - Parte affecta vt
      - Hepatis
        - Conuexa, hemorrhagia, vrinæ profluuio
        - Caua, vomitu, alui fluxu, sudore
      - Cerebri inflammationes hæmorrhagia soluuntur sæpius:
      - Ventriculi & mesenterij
        - vomitu
        - Alui fluxu
    - Ægrotãtis natura.
      - Iuuenibus hæmorrhagiæ
      - Senibus, disenteriæ contingere solent
  - Particularia.
    - Hemorrhagiæ.
      - Rubor faciei.
      - Capitis & colli dolor.
      - Arteriæ temporum micantes.
      - Hypochondrij distensio fugax
      - Oculi caligantes.
    - Sudoris
      - Vrinæ suppreßio, ob translationem fieri.
      - Rigor vellicato panniculo.
      - Pulsus vndosus.
    - Vomitus
      - Cordis morsus.
      - Nausea.
      - Sputatio frequens.
      - Oris amaror.
      - Labri inferioris palpitatio
    - Diarrhœæ
      - Ructus.
      - Flatus.
      - Ventris inflatio.
      - Lumborum dolor.
    - Menstrui & vrinæ profluuij signa ex reliquarum excretionũ priuatione colligendæ.

De signis crisin comitantibus. Ac primum quæ signa sint laudabilis excretionis dum fit.

Cap. XIX.

HActenus quæcunque crisin præcedere solent signa & quomodo tempus, diem & speciem crisis præsentire possit Medicus ex Grecorum & Arabum doctrina videor explicasse. Nunc ad alterũ signorũ genus trãseundũ est; Signa hæc comitantia voco, quod cũ ipsa specie crisis simul appareant, crisinque ipsam dum fit, bona ne, sit an mala, perfecta an imperfecta, quasi digito indicent. Signa hæc non aliunde quam ex criticis causis petenda sunt & ipsæmet causæ sunt criticæ. At criticas causas duas tantum agnouit Hippoc. excretionem scilicet & abscessum: Quæ igitur excretio bona sit, aut mala, quis abscessus legitimus aut illegitimus videamus. Excretio ea salutaris & bona dici debet, quæ commode fit. Vt autem commode fiat, quatuor requiruntur qualitas laudabilis, quantitas sufficiens, tempus opportunum, & excernendi modus naturæ familiaris. Qualitas humoris qui excernitur laudabilis, erit, si & peccans, & coctus humor vacuetur. Quod peccans humor excerni debeat, docet Hippoc. Aphor 2. sect. 1. ἢν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν, ἢν δὲ μὴ τοὐναντίον. In alui perturbationibus & sponte factis vomitionibus, si quidem talia purgentur, qualia purgari oportet confert & leuiter ægri ferunt: sin minus contra. Quod humoris excernendi coctio requiratur, sexcentis locis scripsit Hip. Nulla vnquã in cruditate salutaris crisis expectanda est: Quicunq; diebus criticis riguerunt, indeque meraca vomuerunt, pessime omnes habuerunt. Si cui bilis atra sursum deorsumue exeat θανάσιμον. Damnantur nigræ, æruginosæ & crudæ omnes, idest, à natura nõ domitæ deiectiones. Eorum enim humorum effeta vis non minus exitiosa est partibus, per quas redit, quam earũ partium à quib. manat exitium ostendit. Secundo vt salutaris sit excretio requiritur quãtitas. Debet humor noxius totus vacuari, non per partes. Quæ enim relinquuntur in morbis relapsus facere consueuerunt aph. 12. sect. 2. Debet etiam

Excretionis laudabilis conditiones. 4

Qualitas

Peccans humor excerni debet.

Coctus excernẽdus.

2. conditio.

Quantitas humoris.

etiam moderata esse quantitas: Vt enim nihil paucũ est criticum, ita quod nimium est dãnatur. De eo quod paucum est, exstat solemne Gal. edictum cõmentario ad aph. 47. sect. 2. prioris Prorrhetici τῶν κρισίμων (inquit) οὐδὲν σμικρὸν ἄνω προσήκει, id est, eorum quæ critica sunt nihil conuenit esse paucum. Rationẽ subiungit eodẽ loco: Quia quod paucum excernitur, aut malignos & multos humores naturæ dominatu regi non posse, aut summã naturæ fatiscentis exsolutionem denuntiat. Suspectæ sunt apud Hipp. sudatiunculæ, substi'la sanguinis, exigui vomitus. De sudatiuncula hæc scripsit in prog. οἱ λεγχροειδέες καὶ μόνον περὶ τὸν τράχηλον γινόμενοι πονηροί, id est, sudores miliares quo ceruix & clauiculæ tantum exsudant, pessimi sunt. In coacis prænotionibus οἱ ἱδρῶτες ἐν πυρετῷ κακοήθεες. Qui exiguo sudore madent cum febre, male se habent. De subtillo sanguinis exstat Aphor. 58. Coacarũ prog. Στάξιες αἱ ἐλάχισται κακαί, i. per exigua sanguinis stillicidia sunt praua. Sectione 3. lib. 1. epid. Philisco. Epaminoni & Sileno, σμικρὸν ἀπὸ ῥινῶν ἔσταξεν καὶ ἀπέθανον, pusillũ quid è naribus stillauit & interiere. Mulier puerpera febre ardente correpta, decimo quarto die è naribus sanguinem profudit, interiit tamẽ, quia euacuationis quãtitas, magnitudini morbi non respondebat. De exiguo vomitu legite aph. 47. sect. 2. prioris prorrhet. τὰ, inquit, σμικρὰ ἐμέσματα χολώδεα κακόν, Pauci vomitus biliosi, mali sunt. Exigua igitur omnis excretio, siue per sudores fiat, seu per vomitum, aut hæmorrhagiam, aut alui profluuiũ, suspecta esse debet, Quod vnico aph. cõplexus est mirus Hip. his verbis. Exigua apparere, vt sanguinis stillicidia, vrinas, sudores, vomitus, deiectiones, est quidem omnino malum, sed eo peius quo frequentius reuerterint. Immodica etiam excretio periculosa est, πᾶν γὰρ (ait Hipp. aph. 51 sect. 2. τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, id est, omne nimium naturæ est inimicum & aphor. 22. sect. 2. prioris prorrhet. In acuta febre, qui copioso sudore diffluunt, male se habent. In epi. profusior omnis hæmorrhagia terrifica est, liberalior vrinæ & alui profusio multos ante diem ad exitiũ precipitauit. Hæc itaq; excretionis laudabilis secunda lex sanciatur, vt moderata & sufficiens eius sit quantitas. Tertio requiritur tempus, id est, dies criticus: Quæcunque enim diebus non criticis contingunt, suspecta sunt. Sunt hi velut arbitri & iudices disceptationũ naturæ & morbi, pro-

Nihil paucum criticũ.

Ratio.

Sudatiũcula dãnatur.

Subtiliũ sanguinis prauum.

Exigui vomitus pessimi.

Immodica vacuatio periculosa.

Tertia conditio laudabilis excretionis.

prerea eos γονίμους, id est, fœcundos appellare solet Hipp. Postremo in excretione laudabili ipse excernendi modus considerandus est. Debet primum confertim fieri, non sensim & paulatim. Debet etiam fieri per loca conferentia & legi naturæ commoda, quæ ξυμφέροντα χωρία vocat Hip. vt autem per loca conferentia fiat vacuatio, tria sunt necessaria. Primum vt locus non sit loco morbi dignior, deinde vt habeat rectitudinem, postremo vt trāsitus patentes habeat. Primum interpretor, vt per nobiliora loca non fiat excretio: Nam quæ ab ignobilioribus ad nobiliores fit μετάστασις periculo non vacat. Empyicorum, pleuriticorum & peripneumonicorū materia in thoracis cauitate contenta, sæpe per arterias & sinistrum cordis sinum expurgatur in renes, vnde vrinæ abradantes & strāguriosæ, sed in ea expurgatione multi moriuntur, & hoc plerisque imponit, qui abscessum in corde fuisse clamitant. Fieri autem per sinistrum cordis sinum & arterias eam puris expurgationē, primus omnium Diocles prodidit & post eum Gal. cap 4 lib. 6. de locis affectis: Nos vero lib. 3. controuersiarum nostrarum anatomicarum, vias eas aperuimus & historiis fide dignis illustrauimus. Debet secundo fieri excretio κατ' ἴξιν καὶ κατ' ἰθυωρίαν, id est, secundum rectitudinē è directo. Nam quæ fit ἀνάπαλιν, id est, è diuerso, damnatur ab omnibus. sic aph. 33. sect. 3. prioris prorrh. τὸ ἀνάπαλιν αἱμοῤῥαγεῖν πονηρόν, id est, sanguinem è diuerso fluere malum est, vt in liene magno, si è dextra nare fluat & de hypochondriis eodē modo. Arguit excretio hæc quæ fit è directo, validam naturæ cōtentionem, vt quæ è diuerso fit humoris malignitatem & obsessæ partis imbecillitatem. Tertio requiritur vt locus transitus habeat patentes, id est, vt meatuum adsit libertas: sitque εὔροον τὸ σῶμα, quod ita expressit Hipp. sect. 3. lib. 6. epid. τὰς ἐφόδους ἀνεστομῶσθαι, εἶσω ὅκως καὶ τὰς ἄλλας ὧν δεῖ, id est, transitus apertos esse oportet, & alia quib. opus est: Vbi notabis Hipp laudabilis excretionis notas omnes indicasse his verbis ὡς δεῖ, καὶ οἷα, καὶ ὅτε, καὶ ὅπη, καὶ ὅσον δεῖ, id est, vt oportet, & qualia, & quando, & qua parte & quantum opus est. Prima particula, excretionis modū designat, secunda qualitatem, tertia tempus, quarta rectitudinem, postrema quantitatem. Loca porro naturæ familiaria & ordinaria, per quæ excretiones fiunt sunt aures, nares, intestina, vterus, pudendum, venæ narium, hæmor-

Quarta.

Vt fiat excretio per loca conferētia tria requirūtur Primū.

Secūdū.

Tertia cōditio.

morrhoidum & cutis ipſa. Nam per hæc effluunt pus, ſanguis ſputum, vrinæ, deiectiones, ſudores. Sunt hæc omnia laudabilis excretionis ſigna vniuerſalia: Particularia vero cuiuſq; vt ſudoris, vomitus, deiectionum, vrinæ, hæmorrhagiæ, ex Hip. progn. petenda ſunt. Quæ nos vno capitulo ad finem huius operis in rudiorum gratiam cõplectemur. Adde his omnibus, morbi ſpeciem, ægrotantis naturam, ætatem anni tempus.

De ſignis laudabilis & legitimi abſceſſus.

CAP. XX.

LEgitimi & ſalutaris abſceſſus cõditiones, paucis verbis ita expreſſit diuinus ſenex, ſect. 2. lib. 6. ep. σκεπτέα ταῦτα ὅπη καὶ ὅθεν καὶ διατί, id eſt cõſiderandum quo, vnde, & propter quid. Quo, partem denotat in quam decũbit, vnde partem ex qua, propter quid cauſam deſignat, ob quam oboritur abſceſſus, id eſt, num à natura cocto morbo, aut à materia cogente & diuexante adhuc humore crudo. De partis in quam decumbit humor conditione, primum dicam. Debet eſſe inferior, ignobilior, remota ab affecta parte & totius materiæ morbificæ capax. Itaque ratione partis ſuſcipientis debet legitimus abſceſſus fieri κάτω πρόσωτάτω καὶ ἄξιος τῆς περιβολῆς deorſum, procul à morbi foco & pro dignitate morbi. Quod deorſum & procul fieri debeat docet Hip. ſent. 17. ſect. 1. lib. 6. epid. Si infra vmbilicum ſuperiora conſtiterint in inferioribus articulis bonum. & prog. 67. ſect. 2. Progn. αἱ δ' ἀποστάσιες αἱ ἐς τὰ σκέλεα λυσιτελέες μὲν πᾶσαι, Abſceſſus qui erumpunt ad crura in peripneumonia vehementi vtiles omnes ſunt. Apertius ſect. 1. lib. 2. epid. Optimi, inquit, ſunt abſceſſus αἱ κάτω, καὶ αἱ κατωτάτω κοιλίης, καὶ προσωτάτω ἀπὸ τῆς νόσου qui infra fiunt, & longiſſime infra ventrem, & remotiſſimi ſunt à morbo. Quod partis recipientis capacitas requiratur docet idem auctor in epid. prorrh. & coa. ſect. 1. lib. 2. epid. Debet abſceſſus legitimus fieri pro morbi dignitate; id autem contingit dum in partem humoris morbifici capacem decumbit, ſin ſecus contingat periculum eſt recurſus ad nobiliores partes, vnde cita mors venit. Partic. 2. lib. 1.

Cõditiones partis recipientis. Debet fieri deorſum & procul.

Debet fieri in partẽ capacem.

epid. exanthemata apparebant parua, nec digne morborum excretioni respõdentia, inde mox rursum euanescẽtia, eadẽ sect. multi abscessus oriebantur, aut minores quã vt quicquã prodessent aut maiores quã ferre possent. In proth. Quę apud aures extuberant in paraplecticis suspecta sunt, quia magnitudini morbi non respondent. Extant ad huius rei illustrationem elegantes historiæ in

Historię elegãtes

epid. Æger nonus sect. 3. lib. 1. Crito abscessum habuit in magno pedis digito, nocte delirauit, postridie interiit. Historia quinta particulari sect. 3. lib. 3. epid. Caluus Larisseus fœmur dextrum doluit, quarto die circa meridiem mortuus est, celerrime & acutissime. Sect. 1. lib. 2. Temeni neptis ex vehementi & acuto morbo abscessum habuit in digito, cumque pars totius materiæ non esset capax recurrente eadem ad superiores & nobiliores partes interiit. Considerandum igitur in abscessu laudabili ex

Altera conditio abscessus legitimi.

summi Hipp. mandato, Quo, id est, in quam partem fiat decubitus: spectandum etiam est vnde, id est, à qua parte dextra ne an sinistra: si dextra laboret pars, in dextram fiat decubitus, si sinistra in sinistram. Atque vt in excretione requiritur τὸ κατ' ἴξιν, ita & in abscessu. Sic Herophõti cum intumuisset lien obortus est in crure abscessus κατ' ἴξιν & præter spem conualuit. Postremo considerandum

Tertia.

est propter quid, id est, vt interpretatur Gal. num cocto à natura morbo fiat, aut eadem irritata: Si crudo exsistente morbo oboriantur abscessus, praui sunt, & morbum perfecte non iudicant: Cruda enim (inquit Hipp. sect. 2 lib. 1. epid.) & incocta, & in prauos abscessus conuersa aut morbi longitudinem, aut periculum, aut mortem minantur & aphor. 66. sect. 2. prog. Si sputum non facile excernatur neque vrina hypostasin habeat laudabilem, periculum est ne ab abscessu articulus claudicet, aut multum molestiarum exhibeat. Est igitur vt rem in pauca contraham salutaris & legitimus ille abscessus qui fit deorsum, procul à parte affecta, pro dignitate morbi secundum rectitudinem & morbo à natura concocto.

Tabula signa omnia crisin comitantia concludens.

Signa crisin comitantia sunt ipsæmet causæ & species criticæ quæ duæ omnino sunt,

- Excretio quæ vt salutaris sit quatuor requiruntur
  - 1. Qualitas laudbilis, vt coctus humor & peccans vacuetur.
  - 2. Quantitas moderata Nam
    - Exigua damnatur.
      - Substilla sanguinis
      - Sudatiuncula
      - Vomitus exigui
    - Immodica periculo non vacat
  - 3. Tempus, vt die critico contingat: Quæ enim aliis diebus contingunt suspecta esse solent
  - 4. Excernendi modus in quo hæc spectanda vt
    - Fiat confertim, non sensim & paulatim
    - Fiat per loca conferentia, vt autem id fiat tria requiruntur.
      - Locus non sit loco morbi dignior.
      - Locus habeat rectitudinem.
      - Locus transitus habeat patentes
- Abscessus vt legitimus sit tria spectanda.
  - 1. Quo, id est, pars in quam decũbit, quæ debet esse.
    - Inferior.
    - Ignobilior.
    - Remota ab effecta parte.
    - Totius materiæ morbificæ capax, alioqui periculum refluxus.
  - 2. Vnde, id est à qua parte fiat, dextra ne an sinistra, debet enim fieri decubitus secundum rectitudinem.
  - 3. Propter quid, num fiat cocto à natura morbo, aut eadem irritata: Nam si crudo existente morbo fiat prauus erit abscessus.

De signis Crisin consequentibus.

Cap. XXI.

Tertium superest criticorum signorum genus, quod crisin iam factam perfecta ne sit, an imperfecta, secura, an infida nobis commonstrat. Signa hæc cōsequentia appello quia crisin consequuntur. Ea autem ex qualitate corporis, actionibus & excrementis petenda sunt. Qualitas corporis cernitur in colore, figura & mole totius, sed præsertim faciei. Actiones tres sunt, naturalis, vitalis, animalis; Naturalis, coctione, distributione & excretione absoluitur, vitalis in pulsu, respiratione, colore & calore totius lucet. Animalis aut princeps est, aut motrix, aut sensifica. Excrementa hic intelligo vniuersalia, vrinas & deiectiones. In his tribus signa omnia quæ crisin consequuntur, apparent, & ex his perfectam, aut imperfectam crisin salutarem aut lethalem iudicabit medicus. Absoluta igitur crisi per insignem aliquam excretionem. Qualitatem primum corporis spectare debemus in colore & mole: si enim bene sit colorata facies salutaris fuit excretio, sin color liuidus citrinus, niger, symptomatica. Si quæ prius à morbo & febris vehementia intumuerat facies, repente detumescat, perfecta est crisis: si vero post crisin, faciei tumor remaneat, sintque adhuc turgidulæ palpebræ, periculum subest relapsus. Hoc docuit me diuinus senex sect. 5. lib. 2. epid. ἢν πυρετοῦ ἔχοντος τὰ περὶ τὸ πρόσωπον ἰσχνὰ ᾖ ἐν ἡμέρῃ γονίμῃ, τῇ ἐπαύριον λύει, id est, si cui febricitanti facies die critico extenuetur, sequenti die soluetur omnino morbus. Hoc idem in Coacis Prænotionibus scriptum legitur. Facies extumescente residens, vox idem blandior, tum spiritus rarior & facilior, remissionem perfectam fore denuntiant. Obseruata corporis qualitate, actiones omnes percurrere debet medicus, primumque naturales. Nam si peracta crisi, cibum appetit ex animi sententia, belle coquit & deiicit atque vt breuius dicam bene ingerit, digerit egerit, de relapsu nō est quòd metuamus. Quod si nausea, cibi fastidium, ructus acidi, aut nidorulenti, sitis, hypochondriorū tensio, remanserit, signa sunt impuritatis aluinæ & reliquiarum, vnde relapsus.

Qualitas corporis.

Actiones.

Naturales.

Vita

Vitalis facultas in respiratione, pulsu colore & calore totius conspicua est. Si itaque pulsus æqualis, remissior & temperatus sit, si spiritum ducat ex facili, si color sanorum similis, si denique omnis alieni caloris sit expers, planeque ἀπόρετος, perfectam & salutarem omnino crisin exclamet medicus: Quod si frequens sit pulsus, calorque acrimonia quamtumuis leui tactum feriat, recidiuam polliceatur. Remansit enim ἐγκατάλειμμα quod superesse cuiusdam visceris intemperiem restatur, à qua, noua humoris generatio fieri potest: At quæ relinquuntur in morbis, relapsus facere consueuerunt aphor. 12. sect. 2. Ex animalibus facultatibus, signa hæc petenda sunt, si absoluta crisi mens tranquilla sit, non deliret, sensus integerrimi sint, decumbat in alterutrum latus, manibus, pedibus, cruribusque modice reflexis, perfecta fuit crisis, sin minus imperfecta. Postremo, ex vniuersalibus excremẽtis, vrinis scilicet & deiectionibus, indicia quędam perfectæ, aut imperfectę criseως peti possunt: Si post crisin vrinæ tenues appareant relapsus periculum subest. Æger secundus sect. 1. lib. 3. epid. Hermocrates decimoquarto die liberatur à febre, decimoseptimo vrinæ tenues apparuerunt, vigesimoseptimo mortuus est. Vrinæ etiam rubræ post crisin, reliquiarum aliquid superesse arguunt. Sunt hæc omnia crisin consequentia signa: Sed inter ea principatum obtinet somnus: quando quis nuper morbo defunctus suauiter dormit, signum est firmissimæ, perfectæ & absolutæ criseos. Hoc docuit Hippoc. in Coac. præno. ὕπνοι βαθέες μὴ ταραχώδεες βεβαίαν κρίσιν σημαίνουσιν, οἱ δὲ ταραχώδεες μετὰ ἀλγήματος σώματος, ἀβέβαιοι, id est, Somni pro fundi nec turbulenti firmam & stabilem crisin significant, turbulenti vero & cum dolore corporis, inconstantes sunt. Atque hæc sunt signa omnia critica & antecedentia, & comitantia & consequentia.

Vitalies.

Animales facultates.

Finis libri primi.

- *Signa crisin consequetia, eã iam factã secura ne sit an infida, nobis cemmonstrãt, spectantur in*
  - *Qualitate quæ cernitur in*
    - *Colore*
      - *Si facies bene sit colorata salutaris excretio.*
      - *Si color liuidus, citrinus, niger, symptomatica.*
    - *Figura*
    - *Mole*
      - *Si repente detumescat facies quæ prius intumuerat perfecta est crisis.*
      - *Si turgidula remaneat periculum est relapsus.*
  - *Actionibus quæ res sunt*
    - *Naturalis*
      - *Si bene ingerit, digerit, egerit relapsus nõ subest periculum.*
      - *Si fastidiat cibos, ructusque acidi, sitis hypochondriorũ tensio remanserint, metuẽdus est relapsus.*
    - *Vitalis lucet in*
      - *Pulsu qui si æqualis & remissior sit perfectã indicat crisin.*
      - *Respiratione facili.*
      - *Colore sanorum simili.*
      - *Calore temperato.*
    - *Animalis*
      - *Sensifica si sẽsus integerrimi & somnus placidus sit nec turbulẽtus, perfecta fuit crisis.*
      - *Motrix si belle decũbat in alterutrum latus.*
      - *Princeps si mens tranquilla sit.*
  - *Excrementis*
    - *Deiectionbus coloratis, figuratis.*
    - *Vrinis quæ*
      - *Si sanorum similes sint salutarẽ crisin testãtur.*
      - *Si tenues appareãt aut rubræ relapsũ minãtur.*

LIBER SECVNDVS, INQVO DIERVM CRITICORUM DIFFERENTIÆ OMNES, & EORUNDEM VIRES EXPLICANTUR.

LIBER SECVNDVS, INQVO DIERVM CRIticorum differentiæ omnes, & eorundem vires explicantur.

Quomodo dies critici à medicis inuenti sint.

CAP. I.

TAnta apud Antiquos fuit olim superstitio, vt certo quodam dierum numero omnia constare, ab his pendere singula, his vitam hominis dispensari existimauerint. Sanctissimos Ægyptiorũ sacerdotes in priuatis & politicis actionibus peculiares dies obseruasse legimus, Græci suos habuerũt dies, quos ἀποφράδας, id est, nefandos appellarunt Fuerunt apud Romanos atri & infausti quidam dies, qui ex Pontificum decreto, neq; preliares, neque puri neque comitiales erãt. Rustici & agricolæ in plantarũ amputatione ac satu dies peculiares obseruant. Astrologi & Genethliaci in suis natalitiis maximam dierum rationem habent. Sunt & nautis suspecti quidam dies, quibus mari se non audent committere. Tales notãtur Martij primus, septimus, quintusdecimus, septimus & decimus, vigesimus quintus; Aprilis quintus, sextus, duodecimus, vigesimus, Februarij sextus, quintusdecimus, septimusdecimus, nonus & decimus, vigesimus. Sunt & felices in mari dies, quibus venti omnino consilescunt, summaque in mari notatur trãquillitas, Alcyonios vocãt.

Dierum obseruatio apud antiquos.

Dies suspecti.

Quomodo dies critici à medicis inuẽti.

Verum superstitiosa hęc omnia, incerta, fallacia. Præclarius Medici, certa & longa experientia edocti, philosophicam dierum contemplationem, medicæ artis exercitationi subiecerunt. Cum enim in morbis dies alios, aliis potẽtius decernere, & imparibus fere omnibus, naturam aduersus morbũ insurgere, insignique aliqua excretione, aut abscessu ἀξιολόγως, humorem morbificum nunc ἔξω, nunc ἔσω, nunc ἄλλῃ ὅπῃ δεῖ, id est, foras, aut intro, aut alio quo oportet trudere obseruarent, Dies quosdam statuerũt, quos in vniuersum κρισίμους, κριτικὰς καὶ κρινούσας ἡμέρας, id est, criticos, decernentes, iudicatorios, decretorios vocarunt, eorum alios salutares & faustos, alios lethales, infaustos, & nefandos statuentes. Hos admirandus Hip. primus omnium quorum memoria ad nos peruenit in epid. aphor. progn. & lib. de iudicationibus accurate descripsit, salutares passim γονίμους id est, fœcũdos appellans. Hunc sequuti sunt Archigenes, Diocles. Heraclides Tarentinus, Philotimus. Neque verò summo illi Philosopho & naturæ genio Aristoteli, incognita fuit dierum criticorũ vis Nam cap. 6. lib 5. Physicor. morbi solutionẽ quæ diebus vere criticis contingit vult fieri, κατὰ τὴν ἀλλοίωσιν φυσικὴν, id est, secundum naturalem alterationem. Quæ vero diebus non criticis, κατὰ τὴν βιαῖον ἀλλοίωσιν, id est, per violentam alterationem. Tandem subsequutus est Gal. qui dierum omnium naturam, differentias & vires libris tribus ita accurate & eleganter descripsit, vt nihil fere desiderari possit. Nos secundo hoc libro dierum criticorum differentias omnes & quæ sit cuiusque diei dignitas atque in decernendo vis clarius explicabimus.

Quid sit dies Medicus, & quænam eius sint partes.

CAP. II.

Dies duplex.

Naturalis.

ANtequam dierum criticorum differentias aperiamus, videamus, primũ quid dies sit medicus, & quot sint eius partes. Diem Astrologi duplicẽ faciunt naturalẽ & artificialẽ. Naturalis viginti quatuor horis constat æ-

qualibus, quæ ισημερινὰ, id est, æquinoctiales dicũtur Gal. 7.8. method. Eius diei partes sunt duę, dies id est, sol lucens super terram, & nox, idest, vmbra terræ in solis oppositũ diametraliter extensa. Artificialis dies dicitur quã diu sol est supra terram, hic inæqualis esse solet, nã æstate longior est, hyeme breuior, & eius horæ inæquales sunt καιρικαὶ, idest, tẽporales appellatę. Dies medicus & criticus naturalis est cõstatq; 24. horis. Hoc docuit Gal. 1. & 2. de crisi. lib. de septimestri partu. Diem, inquit, appello interualliũ 24. horarũ æquinoctialium: sic & annum trecentis & sexagintaquinque diebus & quarta insuper diei parte constare dicunt, Diẽ porro Athenienses, Persæ & Boęmi à solis occasu incipiunt, Vmbri & Arabes à meridie, Babylonij ab exorto sole, Ægyptij & Galli à media nocte, Medici ab ea hora qua cœpit ęger decumbere & manifeste laborare, vt post hac fusius demonstrabitur. Diem naturalem veteres Romani in partes vndecim secuerũt, mediam noctẽ: Gallicinium, conticinium, crepusculum matutinum, diluculum, auroram, diem clarum, meridiẽ, tempus occiduum, supremam tempestatem & vesperam. Medici diei naturalis quatuor tantum statuunt partes, matutinũ tẽpus, meridianũ, vespertinum & nocturnũ. Hoc primus indicauit Hip. sect. 1. li. 2. epi. & sect. 1. li. 6. dũ scribit, vesperi exacerbari & annum ad vesperam & ascarides, Gal. in comment. diem toti anno proportione respondere vult, vt enim quatuor sunt anni partes, ver, æstas, autumnus, hyems, ita diei, Matutinum tempus veris analogiam præ se fert, æstati assimilatur meridies, Autumno vespertinum tempus, nox autem hyemi. Horis matutinis dominatur sanguis. Circa meridiem quę ęstuosa est bilis. Circa vesperam melancholicus humor. Noctu pituita. Obseruarunt Arabes, morbos à sanguine obortos mane exacerbari, quia tunc temporis mouetur sanguis, & ea ratione matutinis horis mittendum sanguinem pręcipiunt, melancholici omnes affectus circa vesperam magis affligunt, pituitosi noctu, vnde nocturnę febres fere omnes sunt pituitosę: Ita ergo diei naturalis quatuor sũt partes in Græcorum & Arabum Medicorum doctrina, quibus singulis crises contingere possunt, sed nocturnæ periculosiores esse solent. Iam vero criticus dies dicitur, qui decernit, qua fusa & ampla significatione omnis dies criticus dici potest, quia quolibet die iudicari potest

Artificialis.

Quid dies medicus.

Diei naturalis partes 11 apud Romanos.

Diei naturalis partes 4. apud Medices.

Respondẽt diei partes quatuor anni tẽporib.

Quid dies sit criticus.

teſt morb. Sed proprie & vere criticus dies iis dicitur, qui frequẽter & ſecure decernit. cũ excretione vel abſceſſu.

Differentiæ dierum Criticorum ex Hippocrate.

Cap. III.

Differentia dierũ criticorum ex Hip.

Dierum criticorum numerus, eorundẽ vires & differentiæ multis quidẽ difficultatũ inuolucris ſunt implicatæ: Nos tamen ſingula hæc explicare & in perſpicuã lucẽ proferre conabimur. Atq; vt ordine progrediatur diſputatio noſtra, quid admirãdus Hip. quid Gal. ea de re ſcriptis mandarint, primum aperiemus. Deinde quid ſentiamus paucis explicabimus, Hip. criticorũ dierum differentias, aliter in epid. aliter in prog. & aph. tradidit. Sect. 3. lib. 1. epid. dierum alios impares alios pares ſtatuit. Pares ſunt quartus, ſextus, octauus, decimus, decimusquartus, vigeſimusoctauus, trigeſimus, quadrageſimusoctau' ſexageſimus, octogeſimus, centeſimus. Impares ſunt tertius, quintus, ſeptimus, nonus, vndecimus, ſeptimusdecimus, vigeſimusprimus, ſeptimus & vigeſimus, trigeſimus primus. Interea emendandus Hip. locus. Nam in Græcis codicibus ita legitur: Ἐκ τῶν δ' ἐν τῇσι περισσῇσι κρινόντων περιόδων, α. γ. ε. id eſt, circuituum, qui iudicant imparib. diebus, primus, tertius, quintus, vt ita videatur primus dies eſſe criticus: Quod tamẽ falſum eſt. Nã apud eundẽ Hip. (vt ſuo loco demonſtrabitur) primus & ſecundus dies nõ ſunt decretorij, cũ nullus morbus cuius coctionem, expectamus, finiri vno die poſſit, quamquam eadem die ſæpe mori contingit vt ex angina &c. Legendum ergo loco α. πρῶτη vt ſit auctoris hic ſenſus Primus dies impar eſt tertius, vel circuituum qui iudicant imparib. diebus, primus eſt tertius, vt eorum qui decernunt diebus paribus, primus eſt quartus, necq; etiã ſecundi diei meminit eo loco. Itaq; vt eo redeamus, vnde digreſſi ſumus. In Epidemiis dies omnes, quibus criſes contingunt perfectæ, criticos appellauit, quia tunc tẽporis, quæ ſingulis ægrotis contingebant bona, aut mala obſeruabat Hip. neque certa erat adhuc & explorata criſimorum dierum cognitio: Et ſane (vt annotauit Galenus Epidemiorum libri ſunt

Pares qui.

Impares qui.

Emendatur locus Hip.

ὑπο

ὑπομνήματα & velut obseruationes quas sibi ad memoriã, non aliis scribebat. Acuratius in prog. & Aphor. aureis & plane diuinis libris, criticorum dierum differentias proposuit, & eos tantum, qui vere sunt critici, quibus frequentes, fidæ & securæ contingunt crises, descripsit. Itaq; quaternarios omnes in acutis morbis potenter decernere voluit acutorum autem terminum statuit vigesimum diem. Sunt hæc Hip. verba sect. 3. prog. Primus acutorũ impetus quarto die finitur, secundus ad septimum producitur, tertius ad vndecimũ, quartus ad decimumquartũ, quintus ad decimumseptimum, sextus ad vigesimum. Hi igitur impetus ex acutissimis morbis per quatuor ad viginti ex additione desinũt. In aph. eadẽ fere scripsit, aph. 24. sect. 2. Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & vndecimus spectandus, ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus vero septimusdecimus spectandus, ipse siquidem est quartus à quartodecimo, septimus verò ab vndecimo. Itaq; à primo advigesimũ sex sunt quaternarij & tres septimanæ, quæ ita numerandæ sunt, vt secunda à prima omnino separetur, id est, vt octauus dies secundæ principiũ sit: Tertia vero cum secunda copuletur, id est, quartus decimus dies bis numeretur, vt ita in vigesimum diẽ non primum & vigesimũ cadat crisis. Intercidentium dierum non meminit in prog. & aph. quoniã quæ his dieb. contingunt crises, imperfectæ sunt, & ab ἐρεθισμῷ potius aut ob aliquod extrinsecus adueniens irritamentũ contingunt, quam ex lege & præscripto naturæ. Hæc est admirandi Hippocr. de criticorum dierum differentiis doctrina.

Differentia criticorũ dierum ex prog. & aphor.

Differentiæ criticorum dierum ex Galeno.

Cap. IV.

GAlenus, quæ paulo obscurius à summo Hippocrate tradita erant, scriptis illustrauit elegantissimis libris tribus de Crisibus & totidẽ de dieb. decretoriis. Itaque dierum duos statuit ordines. Alij bene & perfecte iudicãt. Alij male & imperfecte. Eorum qui bene iudicant, tres sunt differentiæ. Alij principes dicuntur, qui eas omnes habent

habent notas, quæ ad perfectã crisin requiruntur, decernunt quippe secure, perfecte, manifeste, cum indice, tales sunt septimus, decimusquartus, vigesimus. Alij ad eos accedunt proxime, vt nonus, vndecimus, septimusdecimus. Alij minus perfecte iudicant, vt tertius, quartus, quintus Qui imperfecte & male iudicant, suos etiã habent dignitatis, aut potius malitiæ gradus. Alij namq; frequenter decernunt, vt sextus qui Tyranno confertur. Alij rarius vt octauus & decimus: Alij rarissime, vt duodecimus & sextusdecimus. Itaque ex Hip. & Gal. scriptis hęc colligo: tres esse ordines circuituũ, primus ad vigesimum diem, Alter ad quadragesimum. Tertius ad centesimum extenditur, primus sex constat quaternariis, Secundus tribus septenariis, Tertius tribus vicenariis. Quaternarij omnes à primo ad vigesimũ critici sunt, Septenarij omnęs à vigesimo ad quadragesimum. vicenarij à quadragesimo ad centesimum. Statuantur ergo tres dierum criticorum circuitus: vnus minor ex quaternionib. Alter maior & ἡμιτελὴς ex septimanis. Tertius maximus & perfectissimus ex vicesimo in se aucto & multiplicato. Sed hæc iuniorib. obscuriora fortasse videri poterunt, nostra igitur diuisione illustriora clarioraque euadent.

Tres ordines circuituũ. Tres circuitus dierũ, iunior minor, maior, maximus.

Perfecta & vera dierum criticorum diuisio.

Cap. V.

Dies criticos appello, in quibus mutationes contingunt plurimæ ac firmæ. Eorũ in morbis acutis tres omnino statuo differentias, Alij sunt vere & perfecte critici. Alij indices, Alij intercidentes. Perfecte critici, absolute κύριοι dicuntur aut principes, Barbari radicales dicũt, quoniã quæ his dieb cõtingunt crises, omnes perfecte criseως notas habent. Eiusmodi sunt septenarij tres, septimus, quartusdecimus, vigesimus. Debet perfecta crisis esse εὔσημος, id est, indicata. At quilibet septenarius suũ habet indicẽ, septimus quartũ, quartus decim⁹ vndecimũ, vigesimus septimũ decimum. Debet esse σαφὴς, id est, manifesta, cum excretione laudabili, vel abscessu ἀξιολόγῳ: At solet natura sponte nullo lacessita pharmaco, septimo die, decimoquarto, vigesimo humores excernere. Debet esse ἀκίνδυνος, id est, sine periculo: At illis diebus

Dies vero critici & principes.

plu

plures sanantur, quam moriuntur, vt obseruarit Gal. cap. 7. lib. 2. de diebus decretoriis plures quã quadringentos homines acuto morbo laborantes æstate vnica septimo die perfecte iudicatos fuisse. Hi ergo tres vere & absolute critici ac principes dici debent. Secundus criticorũ dierum ordo eorũ est, quos θεωρή τας καὶ ἐπιδήλους vocat Hip. nos contemplabiles, indices, internuncios, contẽplabiles quod eorum obseruatio ad crisis præsensionem Medico necessaria sit: Indices quod crise s die principi futuræ, signa in his luceant, indicentque diem crisis, si coctionis signa in excrementis appareant vniuersalib. vrinis præsertim: sic in prog. & aphor. vrina quæ quarto die hypostasin habet albam, læuem, æqualem, solutionem morbi septimo fieri ostendit, Sunt autem indices dies numero tres, quartus, vndecimus, septimus decimus quia tres tantum septimanæ, & quilibet septenarius suum habet indicem, primus quartum, secundus vndecimum, tertius septimũ decimũ. Tertius superest criticorum dierum ordo, quos Græci παρεμπίπτοντας, Latini intercalares, intercidentes, interrepentes appellant, quia inter vere criticos & indices intercidunt, intercalãtur. Quidã prouocatorios dicunt, quod naturam proritent & ante tempus excernere cogant. Eiusmodi sunt in prima septimana tertius & quintus in secũda nonus & tertiusdecimus, in tertia decimus nonus. Sunt autem hi in morbis acutis ea prærogatiua critici, quia impares, & quæ illis diebus crises contingunt, imperfectæ sunt, quia naturæ motum & ordinem non sequuntur, sed irritata ac lacessita natura fiunt. Tot ergo à nobis crisimorum dierum statuuntur differentiæ, vt alij sint principes, alij indices, alij intercidentes. Reliqui omnes vt sextus, octauus, decimus, duodecimus, sextusdecimus octauusdecimus à Doctis quibusdam vacui & medicinales dicuntur: vacui, quia nec decernunt, nec indicãt, nec prouocant. Medicinales v. quia illis diebus ægris mederi eisque cathartica citra periculum exhibere potest Medicus. Hoc apertissimis verbis expressit Diuinus senex lib. 4. de morbis, Quicunque, inquit, febre continua correpti cathartico diebus paribus vsi sunt, hi nimium purgati sunt nunquam: At qui diebus imparibus cathartico sunt vsi, nimium sunt purgati & multi perierunt. Dies hos, quidam criticos artificiales vocant, quod arte medica morbos iudicent, id est, soluant.

Dies indices.

Dies intercalares.

Dies vacui & medicinales.

Tabula dierum differentias omnes comprehendens.

Dierum in morbis acutis quatuor statuimus differentias.

- Alij sunt vere & perfecte critici principes dicuntur aut radicales, eiusmodi tres tantum sunt.
  - Septimus.
  - Decimus quartus.
  - Vigesimus.
- Alij sunt indices seu contemplabiles qui crisin septenario futuram indicant, solentque in illis signa coctionis apparere Tres tantum sunt quia tres septimana.
  - Quartus septimum indicat nihil magnum & rarum superuenerit.
  - Vndecimus index est quartidecimi,
  - Decimus septimus vigesimi.
- Alij sunt interciden tes intercalares. qui inter principes & indices intercidunt & quæ illis diebus cõtingunt crises irritata natura fiunt. Sunt autem hi.
  - In prima septimana terna tertius & quintus.
  - In secunda nonus & 13.
  - In tertia 19.
- Alij sunt vacui & medicinales qui nec iudicant nec indicant nec prouocant, & illis cathartica tuto exhibere potest medicus Tales sunt 6.8.10. 12.16.18.

Quod

Quodnam sit morbi principium & à quo die numerare debeat medicus.

Cap. VI.

ANtequam dierum criticorum vires, & quæ cuiusq; sit in decernendo dignitas aperiamus, vidẽdũ prius quid sit morbi principiũ: Eo enim ignorato quis primus quis quartus aut septimus dies dici debeat, statui nõ potest. Principij apud Hip. & Gal. multiplex est acceptio, vt colligo ex comm. in 1. progn. ex commen. ad aphor. 12. sect. 1. ex lib. 1. de crisi ca. 6. 7. 8. & ex lib. de totius morbi temporibus. Sæpe principium denotat τὴν πρώτην ἐφοδὸν τοῦ νοσήματος οὐδὲν οὔπω πλάτος ἴσχουσαν, id est, primum morbi insultum, nullam adhuc latitudinem obtinentem. Principium illud momentaneum est & fere indiuisibile consistit ἐν τῷ νῦν, in puncto. Secundo, principiũ sumitur pro primo die decubitus, vt dicatur tunc morbus incipere cum decumbit æger. Interdum significat eum insultũ qui ad aliquod tempus, tertium scilicet vel quartum diẽ extenditur, vt primus quaternarius principium morbi dici possit. Quinetiam primum morbi tempus denotat, cũ morbum in quatuor diuidentes tempora principio, incremento, statu & declinatione constare pronuntiamus. Nonnunquam principium pro toto cruditatis tempore vsurpatur, vt tandiu dicatur morbus esse in principio, quandiu humorum adest cruditas, licet ad decimũ quartum diem extendatur. Hac principij significatione vtitur passim Hipp. in Aphor. 22. sect. 1. Cocta medicari atq; mouere non cruda, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, id est, nec in principiis & Aphor. 24. eiusdem sect. In acutis morbis raro & principiis medicamentis purgantibus vtendum, quamdiu scilicet crudus est humor. Postremo vsurpatur principij nomen pro eo tempore quo manifestam persentit æger actionum læsionem, & febris adeo σφοδρῶς facultates lædit, vt rectus stare amplius nequeat sed coactus decumbat, si per tempus, occasionem & locum liceat. Hæ sunt principij omnes apud Hip. & Gal. acceptiones. Nunc quomodo in historia critica principium intelligi debeat videa-

Principij multiplex acceptio.

Prima.

Secũda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

mus. Non à primo quaternario, neque ab humorum cruditate principium incoandum, ita enim tertius dies nō esset criticus, & aliquando decimus quartus primus esset morbi dies, quia potest ad decimumquartum extēdi naturæ oppressio & humorum cruditas. Non à primo insultu primū morbi diem numerare debet Medicus, quia principium hoc est insensile & momentaneum: At Medicus sensualis est artifex. Non à primo die decubitus, fieri enim potest vt delicatior quispiam leui de causa & sine febre decumbat: Contra sepe contingit robustos, vel grauioribus negotiis occupatos, licet febricitent, tardius decumbere quam deberent. Quid igitur statuendum? Soluit eleganter quæstionem hanc Gal. primo de diebus decret. docetq; ab ea hora principiū morbi incoandum, qua sentit æger manifestam actionum læsionem, & qua febris adeo σαφῶς facultates lædit, vt rectus stare nequeat Id confirmat summi Hipp. auctoritate. Scribit enim in epid. Lotos plerosque, cœnatos ac bene cibum capientes, derepente morbo correptos fuisse. Sect. 3. lib. 1. epid. Erasinus statim à cœna igne correptus. Pythion primo die tremore manuum cum febre acuta vexatus est, Caluum Larisseum femoris dextri dolore cum acuta febre de repente prehensum legimus, contr. epid. 1. scribit Hipp. multis ad alteram aurem obortos tumores, plurimis ad vtramque sine febre & rectis, & sect. 1. lib. 3. epid. Eum qui in Dealcis horto iacebat, diu capitis grauitate laborantem dextroque tēpore dolentem, cum occasione, igne prehensum fuisse & iacuisse scribit. Ex quib. planū fit & apertū ab eo die principiū morbi numerandū, quo cepit æger febricitare non dolere, nec aliis sympt. infestari.

Quomodo principium hic intelligi debeat.

An in partu principium morbi à die partus numerandum sit, an à die febris.

Cap. VII.

Contra nostræ conclusionis veritatem obiici multa solent quæ diluenda sunt Nam si principium morbi ab eo die incoandum, quo cæpit febricitare. E. & in partu &

tu & in capitis vulneribus, & in viſcerum inflãmationibus, principium à die febris numerandum: At contrariũ ſuadent ratio, experientia, & grauiſſimorum virorum Auctoritas. De partu primum dicam. Conſtans eſt Hipp. Gal. Aui. omnium deniq; Medicorum aſſertio, non à die febris, ſed à die partus principium morbi numerandum. Sententia 10. ſect. 3. progn. hæc ſcripſit Hipp. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ τῇσι γυναιξὶν αἱ κρίσιες ἐκ τῶν τόκων γίνονται, id eſt, iuxta vero eandem rationem mulieribus quoq; iudicationes fiunt à partu. Gal. in com. clarius Hip. ſententiam enarrat. Principium (inquit) numerationis tibi fiat non quo die cœperint febricitare sed quo pepererint. Sect. 2. lib. 3. epid. in ægris decimo 11. 12. ſupputationem à die partus facit Hip. Huius rei eſt euidens demonſtratio. Nã ab eo die numerãdũ morbi principiũ, quo incipit moueri humor, At in die part⁹ moueri incipit humor. Eſt n. ex ſummi Hip. doctrina lib. de ſeptimeſtri partu, partus velut quædã criſis, & eo die maxima eſt naturæ cõtentio, quo tẽpore qui latitant humores exagitari incipiũt. Itaq; ex eo humorũ motu & naturæ cõtẽtione ſupputatio fieri debet, non à die febris. Sic in omni inflammatione, non à die febris, ſed à die inflammationis ſupputatio facienda, quia febris illa ſymptomatica eſt. Verum ſibi ipſi aduerſari videtur Hip. Nam ſect. 3. lib. 1. epid. in Philini vxore morbi principium numeratã die febris non à die partus. Huic (inquit) 14 à partu die ſuperuenit febris, ſexto die delirauit, vigeſimo interiit. Erat autẽ vigeſimus ille dies trigeſimusquartus à partu, Expedita reſpõſio eſt, ſi febris poſt ſextum aut ſeptimum diem ſuperuenerit iam non à partu, ſed à die febris computationem faciendam, quia febris hæc non ſequitur humoris motum, qui paulo ante partum, aut etiam in ipſo partu contingere ſolet ſed forte ab aliqua cauſa externa, vt ira, metu, intempeſtiua victus ratione aut ſimili alio errore excitatur. Opponet nobis fortaſſe argutiolus quidã hiſtorias duas, quibus ſecũdo à partu die febris oborta eſt, & tamen à die febris, nõ à die partus principium numerauit Hippoc. Sect. 3. lib. 1. epid. Epicratis vxorem & Dromeade febris corripui ſecundo à partu die Legite eas hiſtorias apud auctorem, Nam ſingula hic tranſcribere, hominis eſſet otio ac literis abutentis. Reſpondet Petrus Aponenſis, partum alium eſſe naturalem, alium non naturalem, ſi naturalis

Margin notes: Auctoritates Hipp. de partu. — Auctoritas Gal. — Demõſtratio. — Obiectio. — Solutio. — Obiectio. — Reſponſio.

sit partus, à die febris computatio fiat, verisimile enim est febrem non ab agitatione partus excitari, quia omnia κατὰ φύσιν se habent, sed ab aliqua causa externa: Quod si non naturalis sit partus, fiat cõputatio à die partus, quia tunc temporis partus morbi rationem habet, & febris superueniens symptomatis, vel dicamus cum Gal. Hipp. in epid. multa sparsim & confuse annotasse, non vt ederentur, sed vt essent velut aduersaria & ὑπομνήματα ad memoriã iuuandã: In progn. vero & aph. singula paulo accuratius explicasse, & ad certam veritatis regulam accõmodasse. Itaque his libris computationẽ à die partus incoandam censet, si modo ab alia causa non contingat febris, quam ab eo humorum motu, quem pariẽdi conatus excitauit.

In vulneribus capitis quomodo fieri debeat cõputatio. Residua numerãda quomodo.

Quæ autem de Partu à nobis dicta sunt ad capitis & reliquarum partium vulnera, aut inflammationes accommodari posse existimamus. Principium namq; nõ à die febris, sed ab eo quo inflictũ est vulnus numerandũ, sic solet Hip. lib. περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων dies numerare. Multi (inquit) æstate ante septimum diem, hyeme ante decimum quartum moriuntur. Cæterum ne quid prætermissum à nobis videatur, quòd ad morbi principium & dierum λογισμὸν spectet, hæc pro disputationis coronide annotanda sunt, dum morbus redit, recidiuam cum priore morbo iungendam esse, si modo relapsus ex morbi reliquiis, non ex alia causa contingat. Testem habeo locupletissimũ Hip. qui primarios affectus cum recidiuis coniungere solet. Æger secundus sect. 2. libri tertij epid. Hermocrates, decimoquarto die liberatur à febre, septimodecimo rursum febricitauit, vigesimo febris expers, quarto & vigesimo rediit. Tandem 7. & vigesimo moritur. Æger octauus sect. 3. li. 3. epid. Anaxion vigesimo die sudauit, febre liberatus est omnino, septimo & vigesimo rediit febris, quarto & trigesimo totum illi corpus calido sudore diffluxit, cessauit febris, perfectè iudicatus est.

Cui diei attribuenda sit crisis.

Cap. VIII.

QVoniam sæpe contingit crisin multos dies occupare, adeo vt incertũ sit, ad quẽ eorum referri debeat ne-

ne quid fluctuantes rudiorũ animos remoretur, ea paucis explicare non erit studiosis (vt opinor) ingratum. Statuatur exempli gratia vacuatio quædam critica, vt sudor, qui septimo morbi die erumpere incipiat, sequente autẽ 8. desinat, cui horũ attribuẽda est crisis? 7. ne an 8. Nos ad quæstionis dissolutionem, tria in die critico Medico diligenter obseruanda volumus, morbi παροξυσμὸν. id est, accessionẽ, Diei naturam & temporum criticorum numerũ. Paroxysmorum hæc est ratio. Si diebus imparib. exacerbetur, morbus, diei impari potius crisis attribuenda, etiãsi in parem sæpe incidat, quoniam ex summi dictatoris doctrina iisdem diebus iudicantur, morbi, quibus exacerbantur & sect. 3. lib. 3. epid. τὰ παροξυνόμενα ἐν ἀρτίῃ κρίνεται ἐν ἀρτίῃσιν. Quæ paribus diebus exacerbantur, paribus iudicantur, at quorum exacerbationes in imparibus fiunt, ea imparibus iudicantur. Secundo dierum vis & natura considerãda, Alij enim, aliis potentius decernunt, quibusdam diebus fidæ & perfectæ, aliis infidæ & imperfectæ cõtingunt crises. Demus exempli gratia nono & decimo diebus sudasse ægrum, si crisis perfecta fuerit & salutaris, non ierit non decimi diei, si imperfecta ad decimũ referenda potius. Postremo spectãdus est numerus temporis critici sunt autem critica tempora tria ἡ ἀρχὴ τ̃ κρισίμου παροξυσμοῦ, ἡ ἀρχὴ τ̃ κριτικοῦ κινήματος, τὸ τέλος τ̃ κρίσεως, id est, principium accessionis, principium motionis criticæ & finis criseos solutio scilicet morbi. Qui dies duo in se tempora complectitur, is magis crisin sibi vendicat, vt si septimo die ceperit perturbari natura, octauo autem & excretio, & solutio cõtigerit, octaui erit non septimi diei crisis. Quod si tria hæc in tres dies distribui contingat, illi maxime tribuenda erit crisis, in quo cepit excretio, siquidem is maximus est naturæ impetus. Cæterũ obseruatione dignũ est, peracutos morbos & verè acutos vnica die crisin absoluere, eos vero qui decimũquartum excesserint duob. qui vigesimum tribus. Hoc videtur in historiis suis particularibus tacite indicasse Hip. vt eleganter obseruauit Gal. cap. 5. li. 2. de diebus Decretoriis. Nam dum crisis vno tantum die absoluitur (quod ante decimumquartum diem fieri solet) hac dicendi formula vtitur Hipp. Morbus huic quinto, septimo, nono, vndecimo, iudicatus est, nec reperias dixisse Hippocr. quemquam circa quintum vel septimum diem iudicatum, sed ἁπλῶς πέπαυσαι,

Tria in die critico spectanda.

1. Paroxismus.

2. dierũ vis spectanda.

3. Numerus temporum criticorum.

Obseruatio.

ἑβδομαίων κέκριται: At vbi morbus decimum quartum excessit diem, quia plures dies occupare solet crisis, mutat dicendi formulā & ita loqui consueuit, Circa vigesimum, aut trigesimū, aut quadragesimū iudicatus est, innuens tacite huic aut illi diei posse crisin attribui. Ita ex his dierum paulo spinosioribus senticetis euadēdum putamus. Nunc quæ sit cuiusque diei dignitas, & in decernendo facultas, aperiamus.

De diebus vere criticis qui principes appellantur, ac primum de septimo die & eius dignitate.

Cap. IX.

Dierū non eādem esse vim, sed alios aliis potētius decernere. lōgo vsu & certa experiētia, iā à multis seculis obseruarū est: septenarios autem eiusmodi esse, & primus prodidit Hip. & ratio ipsa suadet. Habent n. perfectæ ac salutaris criseos notas omnes. Debet perfecta crisis esse εὔσημοι, ἀσφαλής, τελεία, ἀσφαλὴς, id est, indicata, manifesta absoluta & secura. At solis septenariis hæc insunt omnia: Merito itaque principes & absolute κρίσιμοι dicēdi sunt. Septenarij porro in acutis tres sunt, 7. 14. 20, quorum historiā primum describere postulat dignitatis & naturæ ordo. Sed 7. primum debetur laus criseos propterea cum Gal. c. 4. l. 1. de dieb. decret. primum inter decret. appellat non numero & ordine, sed δυνάμει καὶ ἀξιώματι, id est, viribus & dignitate. Eum Regi confert clementissimo, & sexto opponit tanquam Tyranno: vt enim Rex clemētissimus multis parcit & pœna liberatos dimittit, ita septimus dies insigni facta excretione, multos ab interitu vindicat. De septenarij præstantia multa, à sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus à Chaldæis, Græcis & Arabibus sunt prodita quę hic lubens sciensque prætereo: fateor enim multas nugas numerorum prætextu circumferri, vt in nostra de septimestri partu disputatione annotauimus. Quid n. sapienti curæ est si pleiades septem sunt, si vtraque vrsa ἑπτάστερος, si septē in orbe mirāda, septem orbes planetarum septem Hyades, septem lunæ facies, septem Triones maiores, minores, septē vocis mutationes.

Septenarij vere critici.

tiones, ſeptem motus naturales, ſeptemquæ conſpiciũtur ſeptem ætates, ſeptem apud Græcos vocales, ſeptẽ Græciæ ſapientes, ſeptem metalla, ſeptem oſtia Nili: hinc illud Poetæ, *Et diuerſa ruens ſeptem diſcurrit in ora*. ſeptem in capite, ſacra palladis arce feneſtræ, ſeptem quę vna ſibi muro circundedit arces, ſeptem vocis mutationes, ſeptem artes liberales, ſeptem humanarũ actionum cauſæ, ſeptem de ſtirpe Homeri certantes vrbes &c. Quid inquam hæc ad ſeptenarij vires? Nam & de ſenario, ternario, quinario, cæteriſque numeris mira prædicant quidam. Præſtat in Hipp. Ariſtot & Galeni hortulos multis doctrinæ floribus peramænos arridenteſque diuertere. Ὁ δὲ αἰὼν (inquit diuinus Hippoc. libello περὶ ἀρχῶν) τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ ἑπταήμερος, id eſt, Hominis ætas ſeptenario dierum numero conſtat. Nam & plerique eorum, qui per dies ſeptem nihil quicquam aut edere, aut bibere volunt, his ipſis diebus moriuntur, quia & contrahitur ieiunum inteſtinum, & ventriculis diururna officij vacuitate, ſui omnino redditur immemor. Semen quod poſt viri eiaculationem intra ſeptem orarũ ſpatium non fuerit in effuſionem relapſum hæſiſſe in vitam pronuntiatur. Septimo poſt conceptionem die, ſpermaticarum omnium partium prima apparent rudimenta, habetque (ait ſummus Dictator) genitura ſeptimo die, quæcunque corpus habere par eſt, ſeptimeſtres partus γόνιμοι ſunt, non octimeſtres, ſeptimo poſt partũ die iactat reliquias vmbilici. Poſt bis ſeptem incipit ad lucẽ viſus eius moueri. Poſt ſepties ſeptem liber etiam & pupulas, & totam faciem vertit ad motus ſingulos, Septimo menſe dentire incipit, Poſt bis ſeptem ſedet ſine caſus timore, Poſt ter ſeptem ſonus eius in verba prorum pit. Poſt quaterſeptem incedit, poſt quinquies ſeptem incipit lac nutricis horreſcere. Septimo anno dentes permutat, fitque vt ſcribit Hip. lib. περὶ ἀρχῶν dentium tertia generatio à ſolidioribus alimentis, tunc loquendi integritas abſoluitur, vnde ſeptem apud Gręcos vocales. Bis. ſeptem annis paractis lucent pubertatis indicia, puellis enim erũpunt mẽſtrua, turgẽt mãmæ, noua lanugine inſpergũtur genitalia, totum corpus libidine titillatur, Mares vero τραγίζειν καὶ ἀφροδισιάζειν, id eſt, hircire, vocẽ aſperiorẽ edere & venerẽ agnoſcere incipiũt, obnatiui caloris ἐκλάμψεις. Poſt ter ſeptenos firmã aggrediuntur ętatẽ. Quarto, quinto, &

De ſep.e narij viribus obſeruationes medicæ & philoſophicæ

ſexto ſeptenariis conſeruantur vires, eaque ætas virilis & conſtans dicitur. Septimus ſeptenarius quadratus eſt, Nonus climactericus & periculoſiſſimus iudicatur. Obſeruatum n. in multa hominum memoria expertumque eſt (vt notat A. Gellius in ſenioribus pleriſque, hũc vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis morbique grauioris, aut vitę interitus: aut animi ægritudinis. Elegãs legitur apud eundẽ auctorem Diui Augusti ad Caium Nepotem de anno climacterico cõgralutio, Decimus ſeptenarius qui ſeptuageſimum annum cõplet meta creditur viuẽdi, quo Regius ille Propheta cœleſti numine plenus ita ceciniſſe eſt viſus. *Septuaginta anni dies ſunt hominis, vltra labor & dolor.* Sunt ergo ſeptimi dies mẽſes & anni (quos hebdomadicos vocant) maxime conſiderandi, quoniam inſignes in illis mutationes cõtingũt Propterea monet Ficinus ille Plantonicus vt qui vitam producere cupit, ſeptimo quoque anno Aſtrologum & Medicum conſulat: Aſtrologum quidem vt vnde vitæ impẽdet periculum intelligat: Medicum vero vt rectam victus rationem præſcribens aſtrorum minas & vim maleficam effugiat. Ariſtoteles ſeptimo de hiſtoria Animalium hoc quaſi eximiũ ſeptenario tribuit, quod ſingulis ſeptenariis mutationes maximæ contingunt Gal. ſanitatis præcepta tradens, per ſeptenariorũ rationem, ætatũ facit diſcrimina. Merito itaque Pythagorici ſeptenarium rerũ omniũ principiũ, Tullius rerũ omniũ nodũ nexumve (Geminam quippe vim habet vinciendi) Medici vero certa experientia perſuaſi, Regẽ inter decretorios dies appellarunt: Nam ſeptimus dies multos iudicat, τελείως, πιστῶς, σαφῶς, ἀκινδύνως καὶ ἀκινδύνως, id eſt, perfecte, fide, manifeſte, cum indice & ſine periculo. Narrat Gal. cap. 7. lib. 2 de diebus decretoriis ſe plures quam quadringẽtos homines acuto morbo laborãtes, æſtate vnica perfecte iudicatos vidiſſe, Cæterum licet ſeptimus dies ſalutariter & perfecte vt plurimum iudicare ſoleat, quidam tamen (vt obſeruat Gal. cap. 4. lib. 1. de diebus decretoriis) ſeptimo die moriuntur, plerique etiam inſignem in deterius mutationẽ eo die nacti, in ſequenti aliquo decretorio intereunt. Id autem contigere ſolet, aut propter materiæ contumaciam & malignitatem, vt in febribus peſtilentibus, aut propter expultricis facultatis imbecillitatem, aut denique ob meatuum obſtructionem. De his qui

De anno climacterico.

Qui 7. die interierunt.

qui ſeptimo die interierunt, exſtant elegantes hiſtoriæ 1.&.3.epid. Mulier quæ apud Plantimedem habitabat, cũ primo die febre correpta fuiſſet, ſeptimo interiit. Altera ex abortiuo partu phrenitica die ſeptimo obiit. Adoleſcens qui in mendacium foro iacebat, ſeptimo ἀπέθανεν. De his qui ſeptimo die deterius ſe habentes, ſequentibus diebus criticis interierunt exſtant hiſtoriæ in epid. Æger tertius lib. 1. cum ſeptimo die obtumuiſſet, vndecimo moritur, Æger duodecimus cum ſeptimo die omnia exacerbata eſſent, quintodecimo interiit. Plura collige ex Epidemion libris.

De die quartodecimo, qui ſecundus eſt dignitate. & viribus.

Cap. X.

SEcundus dies vere & perfecte criticus eſt quartus decimus. Huic veterum quidam maiorem in decernendo vim tribuunt, quam ſeptimo, argumentum à Lunæ oppoſitione ſumentes, in quo aſpectus maior oritur inimicitia, quam quouis alio tẽpore: ſed deliramẽta ſunt hæc & meræ nugæ. Nam ſeptimus dies, & numero, & dignitate, principatum inter vere iudicatorios, (quos radicales vocant Barbari) obtinet, ſed ſi 7. die perfecta non contingat criſis, non eſt ante quartumdecimum exſpectanda, niſi forte irritetur natura aut copia, aut qualitate humoris, vel iuuetur à Medico: ita n. cogitur ante diem & præter inſtitutum humorem excernere. De his, qui quartodecimo die perfecte iudicati ſunt exſtant commemorabiles hiſtoriæ in epid. & hoc vnũ inter cætera eius diei dignitatem ac ſecuritatem teſtatur, quòd ſuum habeat indicem vndecimum. At nulla criſis perfecta & ſalutaris dici debet, niſi fuerit εὔσημος, id eſt bonis ſignis indicata. Verum in hac 14. diei hiſtoria multa obſeruantur inuoluta, ac primum illud quæri poteſt, ſit ne ex parium vel imparium dierum numero, Deinde vtrum ſit acutorum morborum terminus. Quod ad primum attinet, certiſſimũ eſt in ſupputatione arithmetica, 14. ex numero eſſe parium, quia in duos æquales ſecatur numeros, & ex duobus imparibus, quales ſunt ſeptenarij, perpetuo par

Dignitas diei quarti decimi.

An 14. dies par ſit vel impar.

numerus generatur, Hippo. sententia decimaquarta sect. 3. lib. 1. epid. inter pares criticos numerat. Eius hæc sunt verba: Est autẽ primus decretorius circuituũ, qui diebus paribus iudicant, quartus, sextus, octauus, decimus quartus decimus. Hæc si vera sunt, non erit quartus decimus perfecta decretorius quia perfecta crisis diebus cõtingit imparibus, & vt sæpe iã annotauimus, Acuti morbi iisdẽ iudicantur diebus, quibus exacerbantur, mouentur, autem imparibus diebus, quia acutorum materia est bilis, cuius, hæc est proprietas vt tertio quoque die moueatur.

Solutio quæstionis.

Nos quæstionem hanc ita soluendam putamus, diuersam esse Arithmeticorum & Medicorum supputationem: Numerant enim Medici per septimanas, ita vt octauus dies secũdæ septimanæ principium sit, & quartus decimus septimus sit secundæ septimanæ. Hoc docuit Hippocrates aphoris. 24. sectio. 2. Septenorum (ait) quartus est index: Alterius septimanæ octauus principium. Itaque in Logismo Medico quartus decimus dies ex numero erit imparium.

An quartus decimus dies acutorum morborum sit terminus.

Cap. XI.

De acutorum morborum termino dubitandi occasionem præbuerũt dissentientes Hippoc. loci. Nunc enim quartumdecimum, nunc vigesimum, nunc quadragesimum diem acutorum finem videtur agnouisse. De decimoquarto in Aphor. & Coac. prænotionibus hæc scriptis mandauit, Aphor. vigesimotertio sect. 2. τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, id est, Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicãtur prog. 143. Coacarum. τοὺς καυσώδεας διακρίνουσιν αἱ τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέραι, ἐκφεύγουσαι ἢ ἀναιροῦσαι, id est: Ardẽter febricitãtes iudicant quartuordecim dies, vel ad interitum, vel ad salutẽ. In epid. plures historias annotaui eorum, qui acuto morbo laborantes septimo decimo & vigesimo iudicati sunt. Herophon decimo septimo iudicatus est. Philini vxor 20. interiit, Cherion vigesimo iudicatus est, febre omnes acuta correpti. Sect. 3. Progn. vigesimum diem acutorum statuit terminum. Febres (inquit) malignissimæ

Dissentiẽtes Hippo. loci de termino acutorum.

gnissimæ quarto die, aut prius occidunt. Primus itaque ipsarũ insultus sic desinit: Secundus ad septimũ producitur, tertius ad vndecimũ, Quartus ad decimumquartum, quintus ad decimumseptimum, sextus ad vigesimum. Hi igitur, impetus ex acutissimis morbis per quatuor ad viginti ex additione desinunt. In eodẽ prog. quadragesimũ diem acutorum morborum terminum statuit. Prognosi vigesimaquarta sect. 1. Libera (inquit) & facilis spiratio, maximã ad salutem vim habet in omnibus morbis acutis, qui cũ febre sunt, & in quadraginta diebus iudicãtur. Itaque pugnantia videtur loquutus. Hip. interpretũ quidam vt se ab his laqueis extricarent, Hip. scripta ita conciliare ausi sunt, quartumdecimum diem non esse acutorum morborum terminum, sed quatuordecim tantum esse dies decretorios, si quis à tertio ad quadragesimum supputauerit. Hoc illi commento probabilem quiddam afferre videntur sed tamen Hip. splendori tenebras offundunt. Nã neque id somniauit vnquam Hip. neque vera sunt quæ ipsi proferunt. Plures quippe sunt, aut pauciores quam quatuordecim dies decretorij, à primo ad quadragesimum. Si enim vere decretorios numeres, sex erunt tantũ septenarij ad quadragesimũ vsque, septimus, decimusquartus, vigesimus, vigesimusseptimus, trigesimusquartus, quadragesimus. si indices tantum, sex erunt etiam quia quilibet septenarius suum habet indicem: si principes decretorios & indices simul iungas, erunt tantum duodecim: si his addere velis intercidentes, plures erunt quam quatuordecim. Itaque quocunque velis modo, aut plures erunt, aut pauciores quam quatuordecim. Ridicula ergo & tota nugatoria est hæc interpretatio. Nobis dissentientes hos Hip. locos conciliare non erit difficile, si acutorum morborum naturam & differentias ob oculos proponamus. Acutos morbos definit Hip. in epid. qui celeriter, continenter & vehementer mouentur, adeo vt acuti morbi ex motu nomen sortiantur, propterea laudat Archigenem Gal. 2. de dieb. decre. quod non ex sola temporis breuitate, sed ex motu & natura morbi, acutum aut peracutum morbum appellare consueuerit: Eum n. q; qui lento motu & cũ interuallis ad quadragesimũ vsq; protẽditur, nemo sanæ mentis acutũ reuera dixerit. Neq; etiam morbus omnis, qui celeriter iudicatur, acutus dici debet, nec idem est acutus cum βραχυχρόνιος, id est,

Explicatio quorundam commẽtitia.

Quid sit acutus morbus.

Obiect. id est, breui ita enim ephemera febris acutus esset morb. sed requiritur ad morbi acumen celeritas, continuitas, & vehementia Quod si obiicias acuto morbo opponi πολυ χρόνιον, id est, longum (ita enim reperias apud veteres Medicos, morborum alios esse acutos, alios diuturnos.) Respondebo ex Gal. doctrina cap. 13. lib. 3. de diebus decretoriis, ob dictionum penuriam id contigisse, & κατὰ χρηστικῶς acutum morbum diuturno opponendum. Statuatur ergo acutorum natura in sceleri continuo & vehementi motu. Acuti porro duorũ sunt generum, quidã sunt peracuti. Quidam acuti simpliciter. Peracuti rursum, aut sũt ἀκριβῶς ἔξοχοι, id est extreme peracuti. Per peracutos dicunt quidã, aut peracuti simpliciter. Acuti etiam alij sunt peracuti simpliciter: Alij acuti ἐκ μεταπτώσεως, id est, ex decidentia. Gal. comm. & aph. 23. sect. 2. annotauit verius & elegantius acutos dici debere per prioris status in aliũ mutationẽ, aut à sua specie degenerationem, quam acutos ex decidentia. Itaq; retinent hi nomẽ tantum morbi acuti, sed illius naturã plane amiserunt, lento enim mouentur & incedunt gradu, vnde νοσήματα κωλυόμενα καὶ βραδέως κινούμενα, quasi cohibitos freno morbos, nec laxis habenis ad suum terminum properantes dicuntur. Horum quidam tales sunt per crisin imperfectam, quidam propter inæqualem vicissitudinem remissionis & exacerbationis. His ita iactis fundamentis dico extreme peracutos primo quaternario iudicari. Testẽ habeo Hip. aph. 2. sect 3. prog. κακοηθέστατοι πυρετοὶ τεταρταῖοι κτείνουσιν id est, febres malignissimæ, horrendisque comitatæ symptomatis, quarto die interimunt. Peracuti simpliciter primo septenario iudicantur. Acuti simpliciter decimoquarto die, quod longissimũ est finiuntur, adeo vt morbi continuatum acumen plures quam quatuordecim dies excedere non possit, id quotidianus rerum euentus cõmonstrat & ipsa suadet ratio: Acuti enim, vehementiam & celeritatem cũ habeant comitem, magnam vim naturæ inferunt: At apud Philosophos nullum violentum est perpetuum. Acuti ex decidentia ad quadragesimum vsque prorogari possunt, de quibus intelligendus Hip. in prog. non enim dixit simpliciter in acutis sed cum addito, iis qui quadragesimo die iudicantur. Qui vero morbi decimoseptimo aut vigesimo iudicantur, fuerunt ab initio parui, mites, ad motum tardi, submersi propterea in illis

Acuti ex deciden tia.

Vera explicatio quęstionis.

suppu

supputatio à die decubitus, aut febris fieri non debet, sed à die vehementis & citatioris motus, quo acuti esse cœperunt. Itaque decimus septimus aut vigesimus ille dies, erit perpetuo decimusquartus. Hæc quæ multis obscuriora videri poterũt, exemplorum appositione clariora & illustriora euadent. Si quis febricitans quarto die phrenitide corripiatur & septimodecimo iudicetur, apud nos decimoquarto iudicatus creditur, quia cœpit tantum quarto die morbus celeriter & vehementer moueri, at à quarto ad septimum decimum sunt quatuordecim tantum dies. Hoc nouerat ante Gal. Diocles. Phreniticos n. non à primo die statim fieri, sed procedente morbi tempore enunciauit.. Si primum septenarium exegerit quis cum febre mitiori, & septimo die acute cœperit laborare etsi is vigesimo die iudicetur, tamen decimoquarto crisin contigisse existimandum. Hoc confirmat Adolescens in Mœlibea lib. 3. epid. Cœpit decimo die delirare. Quartodecimo omnia exacerbata sunt, vigesimo valde insaniuit, vigesimoquarto interiit. Fuit illi vigesimusquartus, quartusdecimus à decimo. Vera est igitur summi Hippo. sententia: Acutos reuera morbos, intra quatuordecim dies, quod longissimum est iudicari, id est, morbi continuatum acumen plures quam quatuordecim dies excedere non posse.

De vigesimo die, qui tertius est radicalis.

Cap. XII.

Tertius inter principes decretorios à nobis statuitur 20. Est n. septimus à quartodecimo. & suũ habet indicẽ septimũdecimũ. Multos hic secure iudicat & perfectũ complet circuitum. Est hic acutorum morborũ terminus, eorum dico, qui tardi fuerunt ab initio, aut quorum continuatum non fuit acumen. De eo maxima disceptatione certatur inter Medicos. Sunt enim qui vigesimum primum præferant vigesimo, quod ille tribus cõstet perfectis septenariis, hic imperfectis. Eius sectæ principes sunt Archigenes & Diocles. Celsus quoque lib. 3. cap. 4. referens

Auctores, qui 21. diem præferunt 20.

referens dies cryſimos,quos antiqui ſequebatur vigeſimum primum recenſet non vigeſimum. Meminit etiam Hip. vigeſimi primi in epid. Aphor.& libello de diebus decretoriis.Primo epid.Circuituum(inquit)qui iudicatur diebus imparibus, primus eſt tertius, quintus,ſeptimus, nonus,vndecimus, ſeptimusdecimus, vigeſimusprimus. Aphor.36.ſect.4.Sudores febricitantib.boni, qui manare cœperint die tertio,quinto,ſeptimo nono,vndecimo,decimoquarto,decimoſeptimo,vigeſimoprimo. Libello de diebus decretoriisIudicantur (ait)febres primo die, ſeptimo,vndecimo,decimoquarto,decimoſeptimo,vigeſimoprimo. Nos tamen certa experientia perſuaſi & ex ſummi Hip. doctrina vigeſimo principatum decernendi tribuimus non tamen vigeſimumprimum à decretoriis dieb.omnino excludimus. Quod vigeſimus dies,criticus potius dici debeat,quam vigeſimusprimus,ipſa circuituũ ratio,& totus dierum ordo ſatis ſuperque ſuadent. Nam ſi vigeſimusprimus perfecte criticus ſit:Ergo & decimus octauus index ſtatuetur, & poſt vigeſimumprimũm hi erunt critici,vigeſimusquintus,vigeſimusoctauus,trigeſimusſecundus, trigeſimusquintus, quadrageſimusſecundus,ſexageſimusterrius, octogeſimus quartus:At eorum nunquam meminit Hip. in hiſtoriis ſuis vniuerſalibus & particularib.ſed criticos omnes numerat à vigeſimo, vigeſimumquartum, vigeſimumſeptimum, trigeſimumquartum,trigeſimumſeptimum,quadrageſimum,ſexageſimum, octogeſimum,centeſimum. Quibus frequenter criſes contingere ſolent.Poterunt ſingula hæc particularib. hiſtoriis illuſtrari. Cherion,Philini vxor, Euryanactis filia vigeſimo die iudicati ſunt,Abderitana virgo vigeſimoquarto,Anaxion trigeſimo quarto. Clazomenius quadrageſimo,vt & qui in Dealcis horto iacebat:Vxor Iphicratis quadrageſimo die pauca biliosa vomuit, octogeſimo perfecte iudicata eſt:ſic & Cleanatides octogeſimo riguit,multum ſudauit, integre iudicatus eſt Heropytus centeſimo vigeſimo perfecte iudicatur. Quid multis opus? Nullus vnquam(vt eleganter annotauit Gal. 2. de dieb.decretoriis)in epid.aut ſaluus euaſiſſe, aut obiiſſe comperietur,in toto illo dierum ordine,qui eſt à decimo octauo & vigeſimo primo,ſed omnes illis diebus iudicati ſunt,qui à decimoſeptimo & vigeſimo ordinem ſumunt. Statuatur ergo vigeſimus dies princeps & radicalis de-

Vigeſimus potius eſt criticus. & cur?

Hiſtoriæ

cre

cretorius non vigesimusprimus. Rationem affert Hip. in prog. quia septimanæ integræ supputandæ non sunt, vt neque dies, neque anni, Id vt clarius innotescat obseruatione dignum est. Tres esse circuituum ordines vniuersales, maximum, medium, minimum. Vigesimus minimus est, quadragesimus medius, centissimus maximus. Vigesimus quaternionibus constat, quadragesimus septenariis, centesimus vicenariis in se auctis & multiplicatis. Vigesimi quaterniones sunt sex. Quartus dies finis est primi & principium secundi: Tertium complet dies vndecimus & huius principium est octauus dies, Quartum decimus quartus cum tertio coniunctus. Quintus cum quarto coniungitur & in decimumseptimum diem cadit, Sextus cum quinto copulatus in vigesimum diem cadit. Itaque vigesimus dies sex cõstat quaternariis, & tribus septimanis ex quibus prima integra est, secunda cum tertia copulatur. Quod autem dies integri numerandi non sint, demonstrari potest ex logismo veterum Astrologorum, cuius mihi copiam fecit Doctissimus Medicus Franciscus Vertunianus ex Magni & Clarissimi Iosephi Scaligeri obseruationibus. Ratio Hippoc.

Mensis περιπάτου σελήνης siue horis appendicibus.

		Dies	Horæ
Iudica-	1	3	9
torij &	2	6	18
indica-	3	10	3
torij	4	13	21
dies	5	16	21
	6	20	6
	7	23	15
	8	27	0

Hippocrates, vt vulgus Astrologiorum æqualium suorum putauit. Lunam ad idem punctũ Zodiaci, à quo primum profecta fuerat, redire vigintiseptem solidis diebus sine vllis appendicibus horarum.

Hæc ita intellige, vt primus dies criticus tres habeat integros dies & nouem horas quarti, secundus sex dies integros & 18. horas septimi, & ita de cæteris.

Mensis Lunaris profectionis A. Iosepho Scaligero obseruatus cum horis appendicibus.

	Die	Hora	Appendices horarum I	II
1	3	9	57	33
2	6	19	55	46
3	10	5	53	40
4	13	15	51	33
5	17	1	49	26
6	20	11	47	20
7	23	21	45	13
8	27	7	43	7

De secundo ordine dierum quos indices & contemplabiles vocant, ac primum de quarto die.

CAP. XIII.

Cur indices dicti.

SEcundus criticorum dierum ordo eorum est quos Hippocrat. ἐπιδήλους καὶ θεωρήτας vocat, nos indices & contemplabiles, Indices, quod perfectam crisin indicent, contemplabiles., quod eorum obseruatio ad criseon præsentionem Medico sit necessaria. Si enim illis diebus salutaria signa, qualia sunt coctionis, appareant, salutaris crisis die principi & radicali sperari debet, sin lethalia, qualia sunt in vrinis hypostasis nigra, in deiectionibus, aquæ, spumantia, nigra, viridia, liuida, in sputis rotundum, spumans & viride sputum, lethalis crisis expectanda. Dies hi, tres tantum numero sunt, quia tres tantum septenarij, quartus, vndecimus, septimusdecimus, Quartus septimi index est, vndecimus decimiquarti, septimusdecimus vigesimi. Neque vero his iudicandi ius denegatur, decernunt enim aliquando, sed imperfectius, estq; exigua eorũ vis propterea indices, verius & magis proprie dici debent quam iudices. Ceterum vt in decretoriis principibus, suus est dignitatis ordo, ita & in indicibus. Septimus primus erat δυνάμει καὶ ἀξιώματι, id est, viribus & dignitate. Quartus inter indices pri-

Quarti diei dignitas in indicando.

mas

mas tenet, melius enim & perfectius septimum indicat quam vndecimus quartūdecimum. De quarto hæc scripsit Hipp. aph. 24. sect. 2. τῶν ἑπ]α ν τε]άρτη ἐπίδηλ☉, id est, septenorum quartus est index & aphor. 71. sect. 4. Quibus die septimo morbi iudicantur, iis vrina rubram die quarto nubeculam habet. Est ergo quartus dies, primo per se, & ex sui natura perpetuo index septimi. Illud per se docte interpretatur Gal. cap. 11. lib. 1. de diebus decretoriis, si nihil rarum & magnum superuenerit, id est, si nihil externum, aut internum contingat. Fieri enim potest ob externam aliquam caufam, aut internam, vt quartus, septimum non indicet. Externarum causarū nomine quatuor complector, Ægrum, Medicum, Astantes & exteriora, quæ aphor. 1. paucis complexus est Hipp. δεῖ ϳ̓ ὁ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέον]α ποιοῦντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν, id est, Nec solum seipsum præstare oportet opportuna facientē, sed & ægrū, & adstātes & exteriora. Medicus peccat, ignorantia artis, audacia, timiditate. Itaque si septimo die catharticum exhibuerit, etiamsi quarto signa apperuerint coctionis, crisin perfectam impediet, Æger vel Medici mādatis non obsequitur, vel sibi indulget nimium, aut impatiens est. Adstantium ministrorum quippe domesticorum & clinicarum mulierum errores sunt varij. Exteriorum nomine multa complectimur, aerem, cibos potus, animi pathemata &c. quæ fusius persequitur Gal. cap. iam citato & commentario ad aphor. 1. sect. 1. Si itaq; in his quatuor errores contingant, naturæ ordinarij motus impediuntur & circuituum ordo interturbatur, vnde fit vt quartus non primo mo & per se sed ex euentu septimi non sii index. Iam vero internarum causarum occursu plerumq; accidit, quartum septimi indicem non esse. Interna hæc causa duplex est, Morbi natura & ægrotantis temperies, constitutio, habitus. Morbus si extreme peracutus sit, impediet, quominus quartus septimum indicet, quia iudicabitur primo quaternario: si tardius moueatur, vndecimo, quatrodecimo aut vigesimo die soluetur. Idem de ægrotātis natura statui potest: Iuuenis enim & biliosus celerius iudicabitur quā senex & pituitosus. Statuatur ergo quartus dies ex& se ex natura sua perpetuo index septimi, modo nihil magnum & rarū superueniat, id est, si neque Medicus quid peccauerit in victu instituendo, neq; æger, aut ministrorū

Internæ causæ.

F

quiſquam, imo ſi neque extrinſecus vllus error commiſſus fuerit. Eſt & quandoque quartus dies ſexti index, ſed ex euentu, quia ſi quarto die praua appareant ſigna ſeptimum diem non attinget æger, ſed ſexto morietur. Noui etiam aliquid molitur dies quartus. Nam ſi primo & tertio die exacerbetur morbus, non ſecundo, quinto die acceſſio exſpectanda erit non quarto, quod ſi quarto die contingat, nouum aliquid & ſiniſtrum minatur. Eſt etiam quartus dies inter decretorios collocandus: Iudicat enim morbos extreme peracutos, vt ſummi Hippoc. edicto confirmari poteſt, aphor. 2. ſect. 3. progn. Febres, inquit, mitiſſimæ & ſignis ſecuriſſimis firmatæ, quarto die deſinunt aut prius, maligniſſimæ vero, & horrendis comitatæ ſymptomatis, quarto die aut prius occidunt. In epid. Pericles quarto die prorupto vniuerſali ſudore acutiſſima febre defunctus eſt, Caluus Lariſſeus femur dextrum doluit, 4. die circa meridiem mortuus eſt celerrimè & acutiſſimè. Verum raræ ſunt quarti diei criſes, ſæpius enim in tertium aut quintum incidunt, quia acutorum morborum exacerbationes diebus fiunt imparibus: At iiſdem apud Hip. iudicantur diebus morbi, quibus exacerbantur, propterea teſtatur Gal. ſe die quarto ſemel tantum criſin obſeruaſſe, & Archigenem bis. Id autem intellige in bilioſis morbis, quales eſſe ſolent acuti fere omnes: Nam ſanguinei quia paribus mouentur, paribus etiam iudicantur.

Quartus 6. index quomodo.

Quartus dies decretori' eſt.

De vndecimo die qui index eſt decimiquarti.

Cap. XIIII.

Eſt quoque vndecimus dies contemplabilis (ait diuinus ſenex aph. 24. ſect. 2.) αὕτη γὰρ τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος, ipſe ſiquidē quartus eſt alterius ſeptimanæ, Non tamen ita perfectè quartum decimum indicat. vt quartus ſeptimum: Vt enim dierum perfectè iudicantium vis ſenſim minuitur, ita & indicantium. Huius rei hæc vera mihi videtur ratio. Quoniam ſi quarto die cœpit natura humorem morbificum coquere, poterit eum breui temporis interuallo totum domare & ſeptimo excernere. At ſi

Cur minuatur vis iudicantium dierum.

vndecimo tantum coctionem incoauerit, debilior fortasse decimoquarto non semper excernet, sed ad septimum decimum aut vigesimum relegabit: Quod si ante vndecimum, septimo quippe, aut nono coctionis signa appareant quantumuis leuissima & vndecimo magis luceant perfecta crisis quartodecimo exspectanda erit, modo Æger, Medicus, adstantes nihil peccauerint sintque externa rite comparata. Est etiam vndecimus dies decretorius multosq; solet iudicare, nunc ad salutem, nunc ad mortẽ. Sect. 3 li. .epid. Melidia quæ iuxta Iunonis tẽplũ decumbebat vndecimo die perfectè copiosa superueniẽte sudore iudicata est. Æger secundus eiusdem sect. Silelenus vndecima die mortuus est, vt & æger duodecimus. Gal. cap. 7 lib. 1. de diebus decretoriis, se vno Autumno omnes vndecimo iudicato obseruasse scribit. 11. dies est etiã criticus.

De septimo decimo die qui index est vigesimi.

Cap. XV.

Tertij septenarij index est decimusseptimus, finis est quinti quaternarij & principium sexti. Archigenes & Diocles decimumoctauum malunt indicem statuere quia vigesimumprimum perfectè decretorium & principem agnoscunt. Verum vt in historia vigesimi annotauimus, si decimusoctauus criticus & index statuatur, omnis crisimorũ dierum ordo immutabitur. Proferam Gal. elegans argumentum, quod est à contrariis. Si dierum ordo à decimoseptimo ad centesimum validior est. Ergo imbecillior erit ordo, qui à decimooctauo exsurgit, & contra: At constat ordinem dierum, qui à decimoseptimo manant, validiorem esse: Erit itaque decimusseptimus potius criticus quam octauusdecimus. Hipp. auctoritate & historiis particularib. id confirmari potest. Meminit in epid. decimiseptimi non octaui, plures vigesimo, quadragesimo, sexagesimo, octogesimo, centesimo, iudicatos scribit, nullos autem quadragesimo secundo, sexagesimotertio, octogesimoquarto. Iudicabantur, inquit, multi circa vigesimum diem, alij circa quadragesimum, nonnulli circa octogesimum. Facient ad huius rei illustrationem, quæ capite duodecimo huius libri Demõstratio Gal. de die 17.

annotauimus. Cæterum obseruatione dignum est septimumdecimum, minus quidem perfectè iudicare, quam vndecimum & quartum, sed potentius multo decernere, vt ea ratione à Gal. & Medicis omnibus inter validiores crisimos numeretur. Heropitus decimoseptimo die iudicatur. Duo fratres qui ad Epigenis theatrum decumbebant decimoseptimo die sunt iudicati. Hip. 1. epid. postquam de decimoseptimo multa prodidit tandem in hæc verba erumpit. Neq; vnquam eorum, qui hoc modo ægrotassent, morbi recidiuam factam animaduerti.

De tertio ordine dierum quos intercidentes & intercaleres vocant.

Cap. XVI.

Tertius criticorum dierum ordo, eorum, est, quos παρεμπιπτούσας ἡμέρας dicunt, id est, intercidentes, intercaleres, interrepentes, quoniam inter principes decretorios & indices intercidunt, intercalantur. Vocãtur à quibusdam Prouocatorij, quod naturam proritent & antè tempus excernere cogant. Sunt autem in qualibet septimana intercidentes quidam. In prima, tertius & quintus. In secunda, nonus & tertiusdecimus. In tertia, decimus nonus. Hi ea prærogatiua decernunt, quia impares sunt: At acuti morbi cum imparib. iudicari solent. Quæ porro diebus intercalaribus contingunt crises, fere omnes imperfectæ sunt, quia quicquid illis dieb. aggreditur natura, id præter institutum molitur, eruptione prius facta quam oporteat: Irritatur quippe maligna humoris morbifici qualitate, vnde fit vt cruda & cocta simul excernat & cum noxiis. audabiles etiam humores pellat, hinc relapsus periculum. Nam licet vacuato humore noxio, videatur aliqua ex parte leuari natura, non habet tamen laudabilem succum quo recreari possit. Hoc eleganter expressit Hipp. libello περὶ χυμῶν, vbi relapsus tres causas agnoscit, ἐὰν προεκρηγνύωνται, ἢ προκρίνονται ἢ ἐγκαταλείπωνται, id est, si prærumpant, aut prius excernantur, aut intus relinquantur. Quod relinquitur, aut humor est morbificus aut qualitas morbosa, ἐμπύρευμα dicunt. Est au-

Intercidentes cur dicti. Cur decretorij sint. Cur crises imperfectę. Quid sit ante tẽpus erũpere.

autem προεκρήγνυσθαι ante tempus erumpere, dum natura ab aliqua causa lacessita, aut irritata, in immaturam iudicationem erumpit. Causa illa, aut externa est, aut interna. Externa multiplex, Medicus æger adstantes καὶ τὰ ἔξωθεν. Interna, morbus peracutus & malignus, paroxysmus & humores ita cõcitati, vt velut ebullentes erumpant antè coctionem, talis esse solet bilis temperamento calidissima & furens. Hæc dum naturam stimulat, eam ad excretrionem quasi vltro impellunt, vnde cum cocto crudum simul excernitur, hinc recidiua, nulla enim in cruditate perfecta crisis spectari potest. Vt autem hæc iunioribus illustriora euadant, obseruandum est, Crises tribus modis contingere posse. Aut enim fiunt à natura sola vincente, quæ humorem morbificum sensim coquit, secernit, excernit. Tales in septenarios tres, 7. 14. 20. cadunt. Hos enim dies sibi elegit natura prærogatiua quadam occulta. Aut fiunt natura ita lacessita, vt antè diem, quem sibi ipsa ἀπαίδευτος, καὶ οὐ μαθοῦσα præfixerat, humorem non omnino coctum excernat: sic solent abortus contingere: sic ventriculus copia aut qualitatis mordentis acrimonia vellicatus, chylum nondum plane coctum excernere cogitur. In hac imperfecta & velut abortiua crisi, naturæ, id est, facultati expultrici multum conceditur. Aut postremo fiunt crises à morbi solius ferocia & vehementia, Tales singulis diebus, etiam partibus contingere possunt, quia quolibet die moriuntur ægri.

De tertio, quinto, nono, tertiodecimo, nono, & decimo, diebus intercidentibus.

Cap. XVII.

Tertius dies, primus est non modo intercidentium, sed etiam omnium imparium: Eo enim morbi extreme peracuti iudicatur. Hoc & in epidemiis & in prognostico docuit Hipp. Nam quod in vulgari codice legitur, primum diem criticum esse, emendandum putauimus cap. 3. huius libri. Diem porro tertium, ea tantum prærogatiua decernere volunt quidam, quia impar est, & eo die accessiones fiunt: At accessio ex internarum Tertius dies cur criticus?

causarum est numero, quæ naturā stimulāt. Alij, quia ad quartum accedit proxime, adeo vt quod natura quarto die moliri conatur, id præripit tertius: Quod si tardior sit naturę motus, quinto die exspectāda crisis. Libro 3. epid. Thasia mulier copioso sudore & mensium fluxu, tertio die à febre & grauissimis symptomatis liberatur.

Quintus dies.

Quintus dies intercalaris est & prouocatorius. De eo multa Hippoc. in epid Plures (inquit) quinto die iudicabantur, sed repetebat morbus. Æger septimus sect. 3. libr. 1. epid. Meton. quinto die iudicatus est, effluxit quippe è sinistra nare sanguis, & sudauit, sed imperfecta fuit crisis. Nam vt notat Hip. μετὰ δὲ κρίσιν ἄγρυπνος, παρέλεγε, οὖρα λεπτά, id est, post crisin vigil remansit, delirauit, vrinæ tenues apparuerunt. Libro 3. epid mulier Anginosa, quæ apud Bitonem habitabat, & in Thaso Philistes die quinto interierunt.

Non eadē ratio vere iudicantium & intercedentiū.

Nonus dies intercidentium omnium est fortissimus. In medio enim septimi & vndecimi est collocatus, vnde fit vt vel crisin vndecimo die futuram præripiat, aut eam quæ septimo fieri debuit perficiat. Galen. inter decretorios secundi ordinis, nonum recenset. Itaque dissimilis videtur ratio intercedentium & vere decernentium, ac indicum. Eorum qui perfecte iudicant, septenariorum scilicet, vires sensim minuuntur Nam septimus dies pręstantius decernit, quam decimusquartus, & hic quam vigesimus: indicum quoque eadem est ratio: Quartus enim perfectius septimum indicat, quam vndecimus decimumquartum. De intercidētibus non ita statui potest, quia ex veterum omnium medicorum decretis, nonus dies, cum inter septimum & vndecimum sit situs, potentius decernit quam aut tertius aut quintus. Lib 1. epid. Herophon 9. die iudicatus est. Dies decimus tertius vt & decimus intercidētes sūt, sed omnium debilissimi & raro illis diebus contingunt crises. Est tamen valior dicimus tertius, & Gal. 1. de dieb. decre. eum inter bene decernentes & non bene soluentes medium agnoscit.

13. & 19. dies.

De diebus vacuis & Medicinalibus qui sunt à primo ad vigesimum ac primum de sexto.

Cap. XVIII.

HActenus dierum perfecte decernentium, iudicantium & intercedentium historiam satis accurate descripisse videor. Nunc eorum qui interiecti sũt, vt sexti, octaui, decimi, duodecimi, decimioctaui, vires eadem methodo aperiendæ sunt. Dies hos vacuos & medicinales appellauimus. Vacuos quidem, quod nec iudicent, nec indicent, nec prouocent: Medicinales, quod illis catharctica exhibere possit Medicus. Decretorij etiam dici possunt, non quidem simpliciter & absolute, sed cum addito mali, numquam enim perfecte & salutariter iudicãt, sed pessime, infide, periculose, quoniam quæ illis diebus contingunt crises à morbi malignitate fiunt, non à natura, aut vincente, aut irritata. Hi suos habent dignitatis, vel potius malitiæ gradus. Alij namque frequenter decernunt, vt sextus, Alij rarius, vt octauus & decimus, Alij rarissime vt duodecimus & sextus decimus. Sextus dies omniũ est pessimus crudelis, infidus, septimo omnino cõtrarius, quẽ propterea Tyrrannum vocat Gal. Nam ægros fere omnes ad exitiũ præcipitat, aut saltem in magnum vitæ discrimen adducit. In Coacis prænotionibus Οἷσιν ἑκταίοισι ῥίγεα γίνεται δύσκριτον, Quibus sexta die rigores fiunt, iis ægre morb⁹ iudicatur. Sudores sexto die manãtes pessimi. Icter⁹ sexto die lethalis. In epid. Dromeade vxor sexto die riguit & interiit. Æger secũdus sect. 1. li. 3. epid. Hermocrates sexto die ictericus factus, vigesimoseptimo moritur. Philiscus sexto die interiit. Gal. cap. 4. lib. 1. de dieb⁹ decretoriis, sexti diei Tyrannidẽ his verbis expressit: Multos hic in Syncopẽ derepẽte cõiecit, aut immodico sãguinis profluuio exstīxit, aut immoderatis vacuationib⁹, vel etiam catoche aut mania mulctauit, Alios vero in manifestã perniciem cõiecit, icterũ inuehens parotidas suspectas, rubras quippe & vertiginosas excitãs, & adhæc marasmis insanabilibus irretiens. Et quod demũ

Vacui cur dicti & medicinales.

Quomodo sint decretorij mali.

Sextus dies Tyrannus.

Historię eorũ qui 6. interierunt.

6. diei malignitas.

mali genus ille dies non infert: Mihi quidem frequenter in mentem venit septimi diei naturam Regi assimilare, Sexti vero Tyranno. Ille siquidē boni instar alicuius principis, prospicit iis, qui à se iudicantur, vel supplicij magnitudinem minuēdo vel victoriam conferendo: At sextum diem vel pernicie illius, quem iudicandum cœpit, gaudere, vel eiusdem salute dolore comperies. Hæc Gal. Periculosæ ergo lathales & insidæ sunt sexti diei crises. Duos tantum reperias in epid. sexto die salutariter & perfecte iudicatos Larisseam, virginem & heraclidem sect. 3. lib. 3. epid. Larissea virgo viro matura, febre occupata καυσώδει cum sæuis symptomatis, die sexto perfecte ad salutem iudicata est. Sed tanquā mirū id prædicat Gal. & causam salutaris criseos, ad validū naturæ conatum refert, quæ triplicem in virgine vacuationem molita est, alterum per menstruam purgationem, alterum per liberalem hæmorrhagiam è naribus, Tertiam per sudorem toto fluentem corpore multum & calidū. Fuisse autem id rarum, satis indicant, hæc Hip. verba. ταύτῃ οὐχ ὑπέστρεψεν ἀλλ' ἐκρίθη, id est, Huic non reuersa est febris sed iudicata est: At rara non sunt artis. Quid si dicamus morbum fuisse sanguineum? Erant enim οἱ πόνοι ἐν ἀρτίῃσι, id est, dolores diebus paribus? Obseruarunt recentiores Medici sextum diem in morbis sanguineis magis esse iudicatorium quam septimum, quia morbi iisdem iudicantur diebus, quibus mouentur, mouetur autem sanguis diebus paribus. vt docet Gal. lib. 3. de crisibus. Heraclides autem sexto die ictericus ab interiu vindicatur triplicis vacuationis benefic io hæmorrhagiæ, diarrhœæ, perirrhœæ. Cæterum dum Gal. sextum diem insidiosum vocat, de biliosis tantum qui imparibus exacerbantur diebus, non de sanguineis morbis loquitur.

Historia corū qui 6. salutariter sūt iudicati & cur.

Sextus dies in morbis sanguineis criticus est.

De diebus octauo, decimo, duodecimo decimo-sexto, decimooctauo.

Cap. XIX.

Octauus

Octauus dies sexti naturam imitatur, est tamen minus periculosus. Habet interdem quartum sui indicem

dicem. Nam si quarto die praua appareant signa, & sexto morbus non terminetur, in diem octauum cadet crisis. Decimus dies, eiusdem fere est considerationis, Sect.3.lib.6.epid. mulieri cuidam decimo die copiosus erupit sudor. Libro 3.epidemion, In Thaso Pithion decimo die interiit. Duodecimus numerum tantum addit diebus, neminem vnquam eo die iudicatum vidit Gale. Decimusquintus & sextus decimus nullius sunt considerationis. Decimus octauus apud Dioclem & Archigenem, index est 21 In Hippoc. & Gal. doctrina, nunquam inter decretorios numeratur.

Decim.

Duodecimus.

15. & 16.

Decimus octauus.

De diebus criticis qui sunt à vicesimo ad centesimum & vicesimum.

Cap. XX.

VIcesimus dies, acutorum morborum terminus est longissimus, acutorum intelligo, qui absolute & simpliciter tales sunt: Nam acuti ex decidentia ad quadragesimum diem prorogantur, de quibus intelligendus ille Hippoc. locus, qui Aphor.24.sect.1.prog. scriptus legitur. Bona & facilis spiratio magnam vim habet ad salutem in omnibus morbis acutis qui cum febribus sunt, & in quadraginta diebus iudicantur. Sunt autem à vigesimo ad quadragesimum vere cretici septenarij tres, vigesimusseptimus, trigesimus quartus, quadragesimus, perit enim post vigesimum quaternionum vis. Anaxion Abderites, constitutione 3.lib.3.epid.34.die sudauit, perfecte iudicatus est. Qui in dealcis horto iacebat, quadragesimo die perfectâ & salutarem habuit crisin. Idem contingit Clazomenio, cui cum humores pone aures vigesimo septimo die apparuissent, quadragesimo tandem, morbi periculo defunctus est. Post quadragesimum, cessat septenariorum vis, tunc soli vicenarij sunt critici, sexagesimus, octogesimus, centesimus, centesimus & vigesimus. Empyicos quosdam sexagesimo iudicatos vidit Hipp. Sect.3.li.1.epid. Cleonactides octogesimo perfecte iudicatus est; Epicratis autem vxor eodem die interiit, vt & mulier quædam in Thaso. Sect.3.lib.3.epid.

40 dies terminus omnium acutorũ.

Vicenarij omnes critici à 40 ad 100.

Heropythus centesimo vicesimo perfecte & salutariter iudicatur, Parius in Thaso, centesimo vigesimo moritur. Post centesimum & vigesimum perit dierum vis, mensibus tunc & annis fieri crises dicuntur. aphor. 28. sect. 3. Plurimi affectus puerulis iudicantur, nonnulli quidem in quadraginta diebus, alij in septem mensibus. Quidam in annis septem Aphor. 7. sect. 5. Comitiales morbi quibus fiunt ante pubertatem, mutationem recipiunt: Quibus autem post vigesimumquintum annũ fere commoriuntur. Apertius libello de semestri partu, Mulieribus (inquit) & fœtuũ cõceptus est abortus, & partus eo iudicantur modo, quo & morbus, & sanitas & mors, omnibus hominibus. ταῦτα δὲ πάντα τὰ μὲν καθ' ἡμέρας, τὰ δὲ κατὰ μῆνα ἐπισημαίνει, τὰ δὲ κατὰ τεσσαρακοντάδας, τὰ δὲ κατ' ἐνιαυτόν, id est, Hæc vero vniuersa partim diebus mensibus, partim dierum quadragenariis, partim vero anno iudicantur. Hæc vera est criticorum dierum historia.

Post 100. diẽ mẽsibus & annis numerare oportet.

Finis libri secundi.

LIBER

LIBER TERTIVS, IN QVO CRITICORVM DIERVM CAVSÆ OMNES explicantur.

Criticorum dierum causæ necessario statuendæ sunt.

Cap. I.

ACutos morbos, statis circuitibus & definitis temporib. nunc paribus, nunc imparib. moueri, longo vsu & certa experientia iam à multis seculis est & exploratum. Dierũ non eandem esse vim, sed alios aliis potentius decernere, nemo nisi audax & demens negabit. Septenarios perfectissime iudicare, tum indices, postremo intercidentes luce meridiana est clarius. Naturæ certas esse leges nobis incognitas, quas ipsa inuiolatas & immutabiles seruat, nisi aut impedita, aut lacessita, omnium recte Philosophantiũ consensu est approbatum. sed horum effectuum causas assignare ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνει σύνεσιν, humani ingenij vires obscuris vallatas cancellis superat. Ita n. abditæ sunt, ita occultæ vt magnitudine sua obstupescentẽ animum suspendant. Multa (inquit Lucretius) tegit sacro inuolucro natura. Est hoc imbecillitatis humanæ asylũ. Hic hærent Philosophi, cæcutiunt Medici, stupet prophanum vulgus: non minus quam in Euripi angusti in Eubœa freti septies interdiu noctuque refluxi motu, Oceani refluxu, Herculei lapidis ferrum ad sese trahentis viribus,

Naturæ motus certi.

Occulta in natura multa

Eche

Echenei pisciculi (Remoram vocant) nauem medio in mari impetu ventorũ actam sistentis miraculo, Rhei bilẽ trahentis aut fugantis proprietatib. Est tamen horum omniũ physica & naturalis quædã causa. Causas si quis nullas esse profiteri audeat, is cum Heraclito in numeros incurrens absurdorum Labyrinthos, demonstrationem & scientiam omnẽ è rerum medio tollet. Qui certos & ordinarios effectus suis causis destituet, is fortunæ & casui omnia relinquet, quod vera ac solida nunquam patietur philosophia. Οὐδὲν (inquit admirandus Hip. lib. de aerib. locis & aquis) ἄνευ φύσιος γίνεται, nihil in natura, sine natura, id est, causa naturali fit. At certum est solos septenarios septimum, decimumquartum, vigesimum perfecte decernere solos quaternarios quartum, vndecimũ, septimumdecimũ secure indicare. Erit igitur eorũ certa quædã & constans ratio. Eam veterũ & neotericorum quamplurimi conati sunt explicare sed tam variæ sunt, multiplices & inter se dissidentes eorum sententiæ, vt si quis eas omnes velut apud Censorem aliquem profiteri aut ordine recensere vellet. magnum & (vt poetę loquuntur) improbum subiret laborem Ego licet hæc plus voluptatis quam vtilitatis Medico sint allatura, quæcunque grauiores ã ttum Philosophi Pythagorici, Arithmetici, Astrologi, Medici, de criticorum dierum causis prodiderunt primum aperiam, Mox quid sentiam paucis & breuius quam fieri poterit explicabo.

Prima opinio Pythagoræorum, qui ad numerorum vim omnia referunt.

Cap. II.

Pythagoræ auctoritas.

PYthagoram summum ætatis suæ Philosophum tanquam diuinum & venerandum admiratur Plato, vnde olim Pythagorici σεβαστικοὶ dicti. Eum apud suos tantũ existimationis adeptũ fuisse scribit Tullius, vt si quid affirmarent in disputando, quum ex eis quæreretur. Qua re ita esset respondere non vererentur αὐτὸς ἔφα, hoc est, ipse dixit. Tantum eius opinio præiudicata poterat, vt etiam sine ratione valeret auctoritas. Præclara quidem sunt

sunt Pythagoræorum mysteria, sed in his superstitiosa quam plurima, maxime vero quæ de numeris & eorundem viribus prodiderunt. Triplicem hi in rebus ordinē statuunt, specierū figurarū & numerorum, sed numeros principatū obtinere volunt, Ab his n. omnia pendere in his omnia consistere, Hos rerū omnium principia & elementa agnoscunt. Quin & numeros non solū inter efficientes caussas, sed etiā inter substantias reponunt, Ens & & vnitatem omnino confundunt. Sic autem ratiocinantur. Quemadmodū in numerorū materialiū serie vnitas vnitati addita binariū constituit, eadē binario addita ternarium, & sic de cæteris: Ita vnitas substantia alteri addita binam efficit adeo vt sicut vnitas numerum cui additur immutat, ita ipsa eadem, Ens cui adiungitur variat. Ex numeris porro alios pares alios impares esse volunt. Pares fœminas, impares mares appellant. Illos imperfectos, diuiduos, infœcūdos: Hos perfectos, indiuiduos fœcundos: proptereaq; principij rationē obtinere putant, imparē numerum ἰσχυρότερον vocant, parē ἀσθενέστερον. Hac numerorū superstitione delusi quidā, existimarunt herbam πεντάφυλλον dictam quinarij virtute venenis resistere, dæmonas fugare, & eius foliū vnicum bis in die ex vino sumtū quotidianā febrem curare, folia tria tērtianam, quatuor quartanam. Plato numerorum vim & dignitatē adeo extollit, vt neminē sine illis recte philosophari posse pronūciet. Quærit diuinus ille philosophus, cur homo animal sit sapientissimum: Respōdet, quia numerare nouit. Animā definit numerum seipsum mouentē. Sunt qui Aristotelem huius sectę fautorem agnoscāt. Is enim primo de cœlo, Ternarium numerum naturæ legem appellat, secundum quem naturalia omnia disponantur, atque propterea corporū tres dimensiones, nō plures esse putat quod ternarius sit omnia, deducta demōstratione ex Pythagorica doctrina: Nullus in numeris ordo sine ternario Arithmeticus namq; Geometricus & Harmonicus ordo tribus absoluitur principio scilicet, medio & fine. Neque vero numerorum vim repudiauit admirandus Hip. nam epistola quadam ad Thessalum filium hæc scribit. Ad numerorum scientiam multum studij adhibeto: Numerorum enim ratio, & ad circuitus, & ad transmutationes febrium præter rationem fiētes, καὶ τὰς κρίσιας τῶν νοσούντων, id est ad iudicia ægrotantium ac securitates in morbis

Triplex in rebus ordo.

Numerorum vires.

Numeri pares impares

Plato numeros celebrauit.

Aristot. quid de numeris sentiat.

Hip. numerorū vim non reiicit.

Cur septenarij & quaternarij sunt critici.

Septenarij diuinitas.

Quaternarij dignitas.

bis sufficiens erit concludunt itaque Pithagorici, numeros iudicationibus pręfici, & numerorum imperio omnia dispensari, moueri, gubernari. Septenarios vere decretorios esse, quaternarios vero eorundem indices, ideo tantum putant, quod septenarij maxima sit diuinitas & quaternarij dignitas pene incredibilis. De septenarij diuinitate multa alias annotauimus quæ hic transcribere non lubet, eius tanta est maiestas, vt σεβασμὸν καὶ σεμνὸν, id est, sacrum & venerãdum veteres appellarint, alij maioris & minoris mundi numerũ Quaternarium vero numerum perfectionis vocant Pythagorici, per quaternarium iurabant, quaternione constare animam existimabant. Quatuor sunt in vniuerso elemẽta, quatuor in sanguineis animalib. humores, quatuor nutrici famulantes facultates, quatuor tantum causarum genera, quatuor anni tempestates, &c. quæ curiosus quis perscrutari poterit. Ob septenarij ergo & quaternarij dignitatem, septenarios & quaternarios criticos esse volunt. Sic septimestres partus vitales esse ob solius numeri vim cõtendunt.

Cur impares potius critici.

Impares vero dies potius criticos esse quam pares, ex eo colligunt, quod impar sit velut musculus & ad agendum promtior, itaque humoribus calidis & agentibus magis conuenit quam patiẽtibus: Agere autem magis biliosum humorem, substantia tenuissimum, temperamento calidissimum, qualitate acerrimum, ex ipsius elementi natura manifestum euadit: At acuti fere omnes à bile fiunt. In diuturnis morbis quorum materia contumax est, frigida & crassa, ad patiendum magis nata, crises diebus paribus contingunt, quia pares fœmineis sunt & ad patiendum nati. Hanc fuisse summi Hip. sententiam contendũt Docti quidam. Quid enim (inquiunt) aliud sonant hæc toties ab Hip. decantata verba libello περὶ ἀρχῶν ὁ αἰὼν τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ ἑπτάμερος, id est, vita hominis dispensatur septenario aphor. quinquagesimonono sect 4 Tertiana exacta κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι τὸ μακρότατον septem circuitibus quod longissimum est iudicatur. Aphor. 36. eiusdem sect. sudores septimo die manantes boni. Aph. 127. Coacarum progn. Icterus ante septimum diem insidiosus, Aphoris. 23 sectione secunda. acuti morbi intra quatuordecim dies iudicantur. Aphoris. 61. sectione quarta, febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, relapsus periculum subest. Vnicam ergo criticorum

dierum

dierum causam agnoscunt Pythagorici numerorum scilicet dignitatem & vim.

Conuellitur opinio Pythagoraeorum & demonstratur numeris agendi vim nullum inesse.

Cap. III.

PRæclara sunt (fateor)Pytagoræorum hæc de numerorū miraculis & viribus placita,sed si Philosophica trutina & Medica statera pōderentur,erroris plena omninoq; superstitiosa æquus veritatis æstimator iudicabit. vt enim singula sigillatim excutiam;Numeris nullam agendi vim concedimus,Nullum hi in naturā habent imperium.Non sunt substantiæ,sed πρὸς τὴν τῆς ποσότητος κατηγορίαν, ad quātitatis eiusque discretæ categoriam referuntur:At quantitas apud Philosophos nullam agendi vim habet, Tribuitur omnis actio qualitati. Aristoteles duodecimo metaphysices capitib. penultimo & vltimo arguit Pythagoræos,qui numeros substantias separatas & entium causas esse volebant. Gal.cap.8.lib.3. de dieb. decretoriis. Omnia (inquit) quæ de numerorum viribus Arithmetici nugantur,tam facile absurda esse deprehenduntur,vt mirari mihi sæpe subeat,aut sic Pythagor.ille simul & prudens fuerit,& simul numeros tanta posse existimauerit.Non posse autem ad numeros criticorū dierum causam referri, ita philosophatur Gal. eod. capite si numerus per se vim haberet decernendi, acuti morbi ἀπαρτὶ τὸ ,id est.semper diebus imparib.iudicarentur nunquam paribus : At sæpe paribus iudicantur : Non ergo quia omnis per numerus fœmina est, impar vero musculus acutorū crises in imparib. fieri pronunciandū. Est & alia Gal. demonstratio. Crisis motus est (definitur enim μεταβολὴ ὀξύῤῥοπος mutatio subita ad salutem aut ad mortem) At mutationes non à numeris fiūt.accidit quidem certis numeris, aut innumeratis dierum interuallis mutatio,quia motus omnis tempore perficitur,definitur autē tēpus ἀριθμὸς τῆς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον, id est,

Numeris nulla inest vis agendi & cur.

Gal. demonstr. contra Pythag.

2.Ratio.

id est, numerus motus secundum prius, & posterius, Aristoteli quarto Physicor. Sed numerus quatenus numerus nec agit in naturalia corpora, nec ea immutat Plinius lib. septimo naturalis historiæ cap. 40. contra numerorum vanitatem ita exclamat: Heu vana & imprudens diligentia, numerus dierum computatur, vbi quæritur pondus, alius de alio iudicat dies, & tamen supremus de omnib., ideoque nullis credendum est. Quid quod bona malis paria non sunt etiam pari numero? Mitto sapientis cuiusdã dictum, Numerorum per se nullam esse dignitatem. Quisque enim numerum quem amat, celebrare solet. Sic de senario mira prædicant quidam eum γάμον καὶ τέλειον vocant, nuptiis eum accommodant & omnis generationis principium agnoscunt, quem tamen medici Tyrannum insidiosum & infidum vocant. Quod si serio philosophandum sit nobis, quomodo in hominis naturam imperium aliquod habebit numerus, cum numerus per se nihil sit, & si metaphysicis credendum, non sit ens reale, sed intellectus tantum.

Plinius cõtra numerorũ vanitatẽ. Dictum sapiẽtis contra numeros.

Non esse ens per se ita demonstrari potest. Quod est multa simpliciter, non est vnum simpliciter, & proinde nec vnum ens per se. At numerus est multa simpliciter, vt docet Aristoteles cap. 7. lib. 3. Physic. vbi ait, Numerum esse vna plura, & decimo Metaphysic. numerum vult esse multa vna. Quin etiam, ex duobus nunquam fit vnum per se, nisi illa inter se vniantur vnitate continuitatis vel intentionis, aut alterum sit forma alerius: At vnitates ex quibus constat numerus, neque vniuntur inter sese in aliquod vnum continuum, neque vna vnitas forma est aliarum: Non erit igitur ens per se. Adde quod si ex substantiarum vnitatib. non fit vnum per se, quomodo ex vnitatibus quantitatum fiet? Neque vero ens reale dici debet numerus: Numerus enim quatenus numerus, constat ex vnitatib. omnis vnitas quædam est indiuisio, omnis indiuisio negatio est seu priuatio: Constat ergo numerus negationib. At negationes sunt non entia; Quod si obiiciat quis numerum à sensibus percipi, & ab Aristotele secundo de anima inter obiecta communia reponi, propterea ens esse reale (liceat vocabulis vti scholasticis, quia ἐμφατικωτέρως rem exprimunt) Respondebimus ex eodem Philosopho numerum ex continui solius negatione percipi: Sic tenebræ,

Numerus non est ens per se. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. ratio. Numerus non est ens reale. Obiect. Solutio.

nebræ, cæcitas & priuationes ferè omnes à sensibus percipiuntur, non sunt tamen vera entia. Quod autem numerus non sit ens reale docet multis in locis Aristoteles. In prædicamentis scribit in partibus numeri esse ordinē, id autem fieri non potest, nisi quatenus ab intellectu percipitur. Octauo Metaphysices: Numerus inquit vnum non est, sed velut cumulus, aut si sit, dicendum quidnam illud sit quod ipsum efficit vnum ex multis, ac si diceret: Nisi detur in numero vltima vnitas, quæ sit velut forma præcedentium, non fiet numerus vnum quid, id autē non fit nisi intellectu & satis imperfectè, hoc est, non ratione compositionis, sed solius ordinis qui mente colligitur. Tertio Physic. numerus est vna plura quantam quædam. Est ergo numerus ens intellectus, non ens reale, non causa efficiens, non substantia, vt volunt Pythagorici, propterea; nulla inest numeris agendi vis. Plato numeris multum tribuit, sed verisimile est (vt pleriq; sentiunt) eū non de materiali & vocali numero, sed de rationali & formali loquutum, & per numeros ipsas rerum naturaliū formas substantiales intellexisse. Aristoteles dum libris de Cœlo ternarium naturæ legem dicit, non agnoscit eū numerum tanquam agentem causam, sed (vt docti omnes interpretantur) legem ex causa manantem, aut causæ iunctam, cuius exemplo naturalia disponātur. Sunt enim mouentes omnes causæ, certo præditæ numero, cuius ratione tanquam exemplari aliquo dispensantur, mouentur, gubernantur. Numerus ergo nihil agit, sed ratio numeri nobis incognita mira præstat. Septenarius quatenus numerus est, nullam efficiendi vim habet, sed eum sibi elegit numerū pro deliciis natura, eo mirum in modum oblectatur & gaudet, vnde fit vt septimo quoq; die, mense & anno maximæ contingant mutationes. Cur autem eum numerum elegerit natura pollicetur Hip. se aliquando demonstraturum, Nam ad finem libelli περὶ αἰῶνος hæc scribit, τῆς δὲ φύσιος τὴν ἀνάγκην, διότι ἐν ἑπτὰ τούτων ἕκαστα διοικέεται, ἐγὼ φράσω ἐν ἄλλοισιν. id est, Quamobrem autem & qua naturæ necessitate per septenariorum rationem singula hæc dispensentur alio loco aperiam, sed nunquam id præstat. Dicamus nos cum Theologis, Deū diei septimo benedixisse, eum filiis Israel tanquam celebratissimum commendasse, die septimo quieuisse ab operibus suis: vnde vulgatū illud. *Numero Deus impari gaudet.*

Auctoritates Aristotelis.

Platonis sentētia explicatur.

Aristotelis locus de ternario explicatur.

Cur septimum numerū elegit natura.

Et antiquissimus ille vates Orpheus de septenario hæc cecinit.

Εβδόμην φίλησεν ἑκαεργὴς ἀπόλλων,

Ecce sagittifero pergrata est septima Phœbo.

Natura itaque (quam ordinariam Dei potestatem, etiã mirus prædicat Hip. lib. de aeribus, locis & aquis) numerum eum tanquam perfectissimum elegit, adeo vt conceptus, conformatio, motus, partus, vita, crises septenariis dispensentur, natura agente non numero.

Altera opinio eorum qui criticorum dierum causam ad Arithmeticam rationem referunt, eiusdemque confutatio.

CAP. IIII.

Opinio. Ferrerij. Hypotheses. Prima.

SVnt ex Medicis docti quidam, qui criticorum dierũ causam ad Arithmeticam compositionem referre conati sunt. Eorum hæc sunt præcipua fundamenta, hæ hypotheses. Morbi acuti ad impares tendunt dierum numeros, & eos maxime, qui totius naturã induunt: Impares autem numeri qui totius naturam induunt, sunt septenarius & nouenarius. Nam cum numeri omnes denario claudantur, fit vt impares omnes qui denario contineantur, vel ternarium, vel quinarium, vel septenarium, vel nouenarium componant: At ternarius & quinarius nouenarij partes sunt: Supersunt ergo duo tantum, septenarius & nouenarius, ipsi nullos alios componentes. Acuti itaque morbi septenariis & nouenariis iudicabuntur. Partes porro numerorum de proximis suis totis indicant, sic Architectus ex fundamentis parietes, ex parietibus tecta colligit: Fit itaque vt tertius de quinto indicet & quintus de nono, Quartus autem de Octauo non indicabit in acutis, quia acuti imparibus exacerbantur diebus, sed de septimo tantum, quia septenarij partes, in quas proximè resoluitur, sunt quatuor & tria, sed quaternarius propinquior est. Finita prima decade alteram rursum incipe, vel alterum quaternarium, senarium, octogenarium: Ita vndecimus criticus erit, quia quartus est à septimo decimusquartus omnium decernentium validissi-

dissimus & perfectissimus, quia ab vtroque numero vim accipit. Est enim septenarius à septimo & à nouenario quintus, decimusoctauus criticus erit potius quam decimus septimus, quia nonus est à nouenario, vigesimus primus etiam potius quam vigesimus de morbis decernit, quia peptimus est à quartodecimo. Hæc crisewn in morbis acutis est ratio. Morbi longi diebus mouentur paribus, iis præsertim qui totius naturam induunt: Sunt autē pares denario conclusi, quartus, sextus, octauus, decimus, de quibus indicabunt suæ partes, de octauo quartus, de decimo quintus, de sexto tertius, de quarto secundus. Ita philosophatur Augerius Ferrerius Medicus & Philosophus eximius. Sed quoniam noua hæc crisimorum dierū ratio, Hippocraticæ & veræ doctrinæ splendorem obscurat, omnemque decernentium dierum κόσμον inuertit, eam in Lyceo Medico non admittimus. Nam nec tertius nec quintus apud Hipp. verè sunt indices, sed intercalares tantum, nec quartus decimus omnium decernentium est validissimus. Septimum enim inter decretorios primum appellat Gal. δυνάμει καὶ ἀξιώματι, id est, viribus & dignitate. Nec octauum decimum septimodecimo præferendum putamus, nec vigesimum primum vigesimo, vt iste contendit, ita enim vigesimusseptimus, trigesimusquartus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, centesimus, nō essent critici, quos tamen frequenter & perfectè decernere lib. 2. demonstrauimus & historiis quam plurimis illustrauimus. Valeat ergo Arithmetica hæc criticorum dierum demonstratio, maximè verò cum aliquam vim efficiendi tribuat numeris, qui cum sint quantitates & entia imperfecta, nihil quicquam agere apti natique sunt.

Morbi longi paribus diebus cur indicantur.

Conuellitur hęc opinio.

Opinio Astrologorum qui causam salutaris & lethalis criseos referunt ad beneficos & maleficos Planetas.

Cap. V.

Astrologi (qui vulgo iudiciarij dicūtur) & Genethliaci ferè omnes, non criseon modo, sed etiam euētuū

omnium & humanarum actionum causam, ad varios syderum aspectus, influxus, coniunctiones referunt.

Ægyptiorum opinio.

Primi omnium Ægyptij & Chaldæi planetarum duo statuebant genera, Alios temperatos & salutares συγκράτους καὶ ἀγαθοποιοὺς appellabant: Alios intemperatos maleficos, horribiles δυσκράτους καὶ κακοποιοὺς Illos vulgus Astrologorũ bonas fortunas vocat, quales sunt Iuppiter, Sol. Venus, Mercurius hos malas fortunas, quales sunt Saturnus & Mars: si cum illis coniungatur Luna, fausti erunt & felices dies, si cum his infausti & lethales.

Abrahami Auenesre auctoritas.

Abrahamus Auenesre septem vult esse mundi gubernatores, qui per cœlos tanquam instrumenta oberrãtes, coaceruatis stellarum omnium influentiis, eas in hæc inferiora distribuunt: Eos reuera Medicos dici debere putat, quoniam ex iis sanitas aut mors. Mercurius ille ter maximus libello de decubitu infirmorum vim quandã inesse astris maleficã, quę imperfectæ & lethalis criseos causa sit apertissimis verbis declarat.

Mercurius trismegist⁹.

Medicus, inquit, ægri decubitum explorare debet; Quod si horam qua ægrotare cœpit, exquisite deprehendere nequeat, spectare debet, quomodo cœlum affectum sit, & ad quam stellarum luna rationem habeat oppositam scilicet, vel quadratam: Cum maleficis enim si conformetur noxium morbum facit, cum beneficis salutarem.

Ptolomeus.

Ptolomeus primo quadripartiti: Erraticarum, ait, stellarum atque fixarum circumuolutio calores, ventos, niues in ambiente aere efficit. Idem centum sententiarũ cap. 6. Super ægrotis criticos dies inspice ac lunæ peragrationem in angulis figuræ sexdecim laterum; Vbi enim eos angulos benè affectos inueneris, benè erit languenti, contra malè si afflictos inueneris. Sexdecim porro angulorũ, quidam sunt pleni, qui respõdent diebus criticis radicalibus, & sunt quartus, octauus duodecimus, sextusdecimus: Quidam semipleni qui respondent indicibus, & sunt secundus, sextusdecimus, quartusdecimus: Alij semidimidiati, qui respondent intercidentibus, & sunt tertius, septimus, vndecimus, quintusdecimus: Alij sunt vacui vt primus, quintus, nonus, tertiusdecimus.

Morbi peculiares planetarũ. Saturni.

Tanta fuit quorundam Astrologorum vanitas & superstitio, vt singulis planetis peculiares morbos designarint, Saturno quidẽ quartanas febres, lepram, scirrhum, cancrum, strumas maligna vlcera, incubum, melancholiam, hepatis & lieni obstructiones, hæmorrhoides, varices, herniam, vteri

præ-

præfocationem, Ioui cephalagiam ſanguineam, ſyno- Iouis.
chos, ephemeras febres, anguinas, pleuritides, peripneu-
monias, phlegmonas, apoplexiam. Marti tertianas fe-
bres, Hemitriteos, phrenitidem, maniam, hæmorrha- Martis.
giam, choleram morbum, icterum, dyſenteriam, eryſi-
pelata, exanthemata, herpetes, carbunculos. Soli fe-
brem continuam, cordis palpitationem. Veneri œdema- Solis.
ta, priapiſmum, ſatyriaſin, gonorrhœam, imaginariam
venerem, inſaniam ex amore, morbum gallicum. Mer-
curio, vertiginem, tuſſes ſiccas, linguæ vitia. Lunæ epi- Lunæ.
lepſiam, arthritidem, hydropem, Paralyſin, Lethargum, Mercu-
coma, caron, catarrhum: Hoc idem voluit Hermes ille rij de
triſmegiſtus. Qui, inquit, ſub Saturno & Mercurio de- morbis
cumbunt, tardi ſunt, & ad mouendos artus imbelles, fri- Planeta-
gidum ſentiunt, lucem auerſantur, crebra ducunt ſuſpi- rum opi
ria, mœticuloſi ſunt, vox illis acuta & exilis, paruus pul- nio.
ſus reſpiratio minutula. Qui ſub Marte & Sole dicum-
bunt iracundi ſunt, ſiticuloſi facies ſaturato rubore ſuf-
fuſa eſt, inordinati & inæquales pulſus, lingua aſpera,
oculos huc illuc voluunt cum δυσφορία & anxitudine pe-
nè incredibili. Neque vero planetis tantum, ſed etiam
ſingulis Zodiaci ſignis peculiares morbos aſſignant A- Singulo
ſtrologi. Arietis apud eos morbi ſunt, epilepſia, aurium rum Zo-
narium, oculorum, dentium, oris dolores, ſcabies, impe- diaci ſi-
tigo, puſtulæ. Tauri, omnes colli & gutturis affectus, an- gnorum
gina, ſcrophulæ. Geminorum morbi ex ſanguine fiunt morbi.
in manibus, brachiis & humeris. Cancri, pruritus, lepra,
depilatio. Leonis, qui in corde & diaphragmate. Virginis
qui in teſtibus & abdomine, atque ita de cæteris. E cœlo
igitur dierum & horarũ felicitatẽ ac infelicitatẽ deriuant
Aſtrologi & Genethliaci, cœloq; & Aſtris maleficam vim
tribuunt. Superſtitioſam hanc & vanitatis plenã opinio-
nem, Medici quidam iudiciarij ſequuti ſunt, criſeos ſalu-
taris, aut inſidioſæ cauſam ad benignum aut maleficum
ſyderum aſpectum referentes. Itaque ſimul atque de-
cumbere cœpit æger, planetarum influxus & quomodo
affecta ſint ſydera intuentur. Ad huius falſi dogmatis
confirmationem poſſumus grauiſſimorum Medicorum
& Philoſophorum, Hip. ſcilicet, Platonis, Ariſtotelis,
Gal. & aliorum auctoritates proferre; Hippoc. lib. de
aeribus, locis & aquis hæc ſcriptis mandauit: Medicum
aſtrorum exortus conſiderare oportet præcipuè vero ac-

cturi & Pleiadum occasum: Morbi n. in his maxime diebus perimunt homines: Sed & periculosissima sunt ambo solstitia, periculosum & æquinoctium vtrumque; itaque neque illis temporibus cathartica exhibere, neque vrere, neque secare oportet priusquam prætereant dies decem aut plures. Secundo lib. de Diæta: Astrorum ortus, eorundem occasus agnoscere Medicum oportet, vt inde mutationes totius mundi, ex quibus morbi hominibus oriuntur obseruet, & libello περὶ ἀρχῶν: De rebus sublimibus in cœlo non est institutum dicere, nisi quatenus ex iis sanitas & morbus, ex ijs bonum & malum, ex iis vita & mors. Videtur itaque Hippoc. cœlo & astris maleficam vim & quasi necessitatem tribuere. Nam primo de Diæta, omnia inquit eueniunt per cœlestem ac diuinam necessitatem & quæ volunt & quæ nolunt, lib. de natura hominis ab eadẽ necessitate omnia contingunt. Hinc illud θεῖον in morbis lib. de aeribus, locis & aquis & 1. prognost. Hanc admirandi Hippoc. sententiam sequutus videtur diuinus Plato cum plerisque in locis, tum vel maxime in Timæo: Suadet enim vt diligenter inspiciamus, quid ex vario astrorum occursu, circuitu, aspectu cuique nostrum euenturum sit. Astra namque alia frigus, alia calorem inducunt, & cuilibet animanti peculiare subest in cœlo astrum. Aristoteles libro de Cœlo, de ortu & interitu, de generatione animal. & meteor. Omnia hæc inferiora à superioribus pendere, esseque superiora inferioribus contigua apertissimis verbis declarat. Quin & primo politicorum Thaletem Milesium ex Astrorum obseruatione oleæ caritatem prænuntiasse scribit. Plinius cœlo & Astris maleficam vim tribuit & quod commemorabile est, minimum animal formicam, siderum vim sentire. Marsilius Ficinus in qualibet stella dæmonem statuit. Ad siderum ergo infelicitatẽ criseos lethalis causam referunt Astrologi iudiciarij, & prout cœlestia illa corpora feliciter vel infeliciter affecta sunt ita & nos & actiones nostras aut damno aut commodo afficere volunt, ex eorum aspectu triquetro (vt aiunt) quadrato. sextili, opposito, futura omnia prædici posse pertinaciter adstruunt, diem & horam cum suis minutis, qua æger laborare cœpit obseruant, erectaque eo momento figura cœli, æquatis quatuor cardinibus & positis suo loco planetis, locorũ apheticorũ conditionẽ speculãtur

tur dominique ascẽdentis & significatoris morbi situm& constitutionem, sumtoque inde iudicio ægritudinem lethalem aut salutarem, diuturnam, aut breuem vaticinantur. Quæ an vera sint ad Lydium (vt aiunt) lapidem & veritatis libellam nunc reuocare placet.

Cõuellitur hæc Astrologorum opinio & demonstratur cœlo atque Astris nullã inesse vim maleficam, nec diuinatrici Astrologiæ credendum.

CAP. VI.

QVod olim de Aruspicibus Cato, id ego de iudiciariis & diuinatoribus Medicis dicere possum. Mirabatur ille, quod non rideret Aruspex Aruspicem cum vidisset. Quota enim quæque res euenit prædicta ab his; aut si euenit quippiam, quid afferri potest cur non casu id contigerit; Non minor est diuinatricis Astrologiæ quam Aruspicinæ vanitas. Quam multa (inquit Tullius 2. de Diuinatione) ego Pompeio, quã multa Crasso, quã multa ipsi Cæsari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum, nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturũ, vt mihi per mirum videatur, quemquam exstare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re & euentis refelli. Diuinatricem eam Astrologiam Philosphi omnes, Pythagores, Democritus, Plato, Panætius Stoicus, Archelaus, Aristoteles & neglexerunt & repudiarunt: vana enim sunt ridicula & debilissima eius artis fundamenta. Ex astrorum quippe aspectu, hmanæ vitæ casus & crises omnes præuideri posse impudentissime iactitãt, proptereaque natalitia cuiusque astra obseruanda esse medico: Quin & astra necessario in nos agere contendunt; eorumque alia benefica, alia malefica esse volunt, quæ singula absurdissima esse, ne dum veritatis pallio velata ratione & sensu) certissimis rerum omnium κριτηρίοις) demonstrare aggredior, Atque vt sigillatim singula persequar. Quomodo exstellarũ aspectu morbi euentus & humanæ vitæ casus preuideri possiũt, cũ incognitæ sint astrorũ omniũ vires: stellarũ quippe infinitus est numer⁹ & magnitudo pene incredibilis. An nõ per stellarũ

Præclarum Catonis dictum.

Ratio 1.

incognitarum influxum, aliarum, quæ cognitæ sunt, effectus, aut impediri, aut variari poterunt: vana igitur & incerta erit prædictio. Scio quid respondeat Astrologi, se longa annorum obseruatione rerum ratos & definitos euentus millies cõprobasse. Sed an ignorant, quod naturæ genius Aristoteles prodidit, motus cœli esse incõmẽsurabiles eãdemque cœli faciem, eundem stellarum positum sæpe euenire non posse, vt vix liceat homini semel in vita eandem cœli totius faciem intueri; Iam v. natalitia cujusque astra obseruare quid prodest, cũ in conceptu potius & conformatione partium beneficam aut maleficam vim si quam habeant, impertiantur planetæ? plus n. in cõceptu quam in partu ponderis esse fatetur Ptolomæus: At quis horam conceptus & conformationis explorare poterit; Solus (ait Gal. libello an omnes particulæ simul fiant) qui fœtum plasmauit nouit creator. Potest ne eo momento, quo decumbere incipit æger, siderum omnium aspectus, influxus, conuersiones obseruare medicus (cum & densissimæ sæpe obseruẽtur nubes) & ita rapidus sit stellarum motus, vt constellatio prius transuolet, quam à nobis deprehendi queat; Sed demus, stellarũ omnium vires illis esse cognitas, & primam decubitus horam, imo & momentum poterit ne ex eo aspectu crisis totusque morbi euentus præsentiri; Cœlum apud Philosophos vniuersalis est causa, cuius vis licet infinita sit, per particulares tamen causas & elementares determinatur. Sol nunquam sine homine hominem generat, requiritur ad effectuum productionẽ agens particulare; & certa quædã materiæ dispositio, quæ vniuersalis illius agentis vires immutat, euertit, alterat. Non ergo ab criseon præsentionem astra tantum spectare debet Medicus, sed peculiares causas, ægrotantis quippe naturam, temperiem, morbi ideam, magnitudinem, mores & motus. Sic nauium periti gubernatores, non ex Ioue, Saturno aut Marte imminentes tempestates præuident, sed ex aere, vẽtis, nubibus, sic rustici & agricolæ non à stellis, sed ab aere aeris dispositiones agnoscũt. Vt ergo aerem illi ex aere: ita Medici ægri saluté & perniciem ex ægro, id est, iis quæ in ægro tante apparẽt, nõ ex cœlo & astris præuidere debẽt. Præterea si varius ille stellarũ influxus & aspectus sola statuatur criseon & criticorũ dierũ causa: Ergo qui sub eodẽ aspectu & eadẽ hora decum-

Respõsũ Astrologorum

Secũda.

Tertia,

Quarta

Quinta.

decumbent, eodem omnes modo iudicabuntur: At obseruatum est eodem momento ægrotasse quã plurimos, eorũ tamẽ alios interiisse, alios supestites euasisse. Quam multi (inquit Phauorinus apud Gell.) omnis ætatis, sexus, sub diuersis stellarũ motibus nati, eadẽ naui fluctu, obruti eodem genere mortis eodẽq; ictu tẽporis interierunt: Quod sane nũquã eueniret, si momẽta nascendi singulis attributa, suas vnũ quodq; leges haberẽt. Quid? an nõ gemellorũ cõceptus, cõformatio, partus, eadem hora: & sub eodem aspectu perficiuntur? At dissimiles eorũ mores, affectus, casus sæpe obseruamus. Proclus & Euristhenes Reges Lacedæmoniorum, fratres fuerũt gemini, eorum tamẽ & exit⁹ vitæ dissimilis, & rerũ gestarũ gloria dispar fuit. Vana igitur & incerta ad morborum prognosin ea stellarũ contemplatio. Impium vero & Christiano indignum, quod diuinatrix hæc Astrologia contẽdit, agere in nos cœlestia corpora necessario, Sapiens enim (vt sacræ testãtur paginæ) ominabitur astris, & vt iã demõstrauimus vniuersalis causa nõ agit, nisi pro dispositione particularis. Proferam Bardezanes Syri, no inelegãs cõtra istos stellarum influxus & necessitatem argumentũ. Apud Seras (ait) lex est prohibẽs occidere, fornicari & ad orare simulacra, vnde in illa regione nullum templum conspicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo homicida, nec voluntatem alicuius illorum ardẽtissima stella Martis in medio cœli constituta ad cædẽ hominis coegit, nec Venus Marti coniuncta vt alienam quispiam sollicitaret vxorem potui efficere? Atqui singulis etiam apud eos diebus, in medium cæli, Martem peruenire necesse est, & in tanta regione singulis horis nasci homines non est negandum. Itaque nec nataliria sidera, nolẽtes Seras ad homicidium compellũt, aut Brachmanas ad esũ carnium: Nec Persas à sceleratis nuptiis remouent, nec Medos prohibent vita defunctos canibus exponere nec Parthos multas ducere vxores: Singulæ namque gentes vt volunt & quando volunt libertate sua vtuntur, legibus moribusque obedientes. Socrates sapientia clarus, illud quicquid esset non nataliris sideribus sed assistenti numini acceptum referebat. Isocrates, cum ei filium exhiberet quidam, & quæreret quid ei necessarium arbitraretur, δεῖ γραφειδίου καὶ νοῦ, id est, penna opus esse (Respondit) & mente. Nullã ergo necessitatem

Seres.

Astra nullam habent necessitatem in homines.

Elegans argumẽtum Bardezanes.

Isocratis dictum.

habent astra, nec agunt in nos, nisi vt causæ vniuersales. Quod vero Astra quædam benefica, quædam malefica esse volunt & commentitium id credimus, & erroris ac vanitatis plenum. Nunquam mors à cœlo, sed à materia elementari cum vitio proprio, nunquam inferiorum corporum tumultus à cœlo sunt, sed à materię motibus inordinatis, cœlestis harmoniæ legibus non obsequentibus. Quæcunque in sublunari regione cõtingunt mala, tumultuãtis potius & deficiẽtis materiæ opera sint, quam benegni cœli. In cœlesti illa harmonia, quæ ex luminum omnium conspiratione resultat, omnia prepetuo conso nãt, per eam nihil in sublunari mundo vnquam dissonat; quod si asperum & discors quidpiã audiatur, id ad cœli tactum referri non debet, sed ad quatuor istas sublunaris cytharæ chordas. Qui cœlo maleficam vim tribuit, qui stellis morborum causas assignat, non minus reprehensione dignus est, quam qui naturam corpus nostrum dispensantem morborum causam agnoscit: At hæc ipsa morborum est medicatrix Hippoc. in epid. Furor est benignam cœli virtutem maleficij accusare, Non fiunt (ait Philosophus) mõstra, facultatis informantis errore, sed materiæ solius, quæ qualitate aut quantitate peccat vitio, cur ergo cœli virtutem seminis facultate nobiliorẽ & diuiniorem damnabimus? Ceterum quas illi planetis elementares qualitates assignant, vt hic frigidus sit, ille calidus, hic siccus, ille humidus, si non actu, saltem effectu, eas nõ agnoscimus. Vt n. astra omnia lucida sunt, ita omnia calefacere necesse est: lux quippe omnis apud Philosophos calefacit: At siderum omnium vna est eadẽque lucis orgo. Sic in plenilunio noctes sunt calidiores, quia lumen amplissimum. Hoc cum viderent Astrologi, ad influentias recurrere, & in stellis præter lumen, influentiam agnoscere coacti fuerunt, sic Saturnũ per lucẽ calefacere quidem, sed per influentiam refrigerare volunt: ita duplicem in qualibet stella facultatem inesse putant, Alteram communem, quæ est vis illuminandi & calefaciendi, Alteram propriam quæ est ab influentia, vt in Saturno refrigerandi. Quę quam sint absona quis non videt: Non sunt in vno eodemque subiecto duæ facultates contrariæ. In heterogeneis corporibus diuersæ nonunquam facultates comperiuntur, sed in homogeneis nunquam: At astra vnius sunt naturæ & simplicissima

Astra nõ esse malefica.

Astra omnia calefacere

ſima corpora benigna & proſpera omnia, nunquã per ſe maleficia. Si enim (vt notat Gellius ex Phauorino) mortis hominum rerumque humanarum omnium tempus, ratio & cauſa in cœlo & apud ſtellas forēt, quid de muſcis, aut vermiculis, aut eſchinis multiſque aliis minutiſſimis terræ mariſque animantib. dicerent Aſtrologi: an iſta quoque iiſdem quibus homines legibus naſcerētur, iiſdemque itidem exſtinguerentur, vt aut ranunculis quoque & culicibus naſcendi fata ſint de celeſtium ſiderum motibus attributa: aut ſi id non putarent, nulla ratio videretur cur ea ſiderũ vis in hominibus valeret ſi deficeret in ceteris. Quæ autem in aduerſam partem allatæ ſũt Hippoc. auctoritates, cœlum in hæc inferiora agere & mutationum omnium cauſam eſſe vniuerſalem conficiunt tantum. Quod etiam voluit Ariſt. dum cœlum inferiorib. his eſſe contiguum non mathematico ſed phyſico contactu ſcribit. Agere autem cœleſtia omnia in hęc inferiora motu tantum & lumine exiſtimauit idem Philoſophus, vnde fit vt in æquinoxiis, & ſolſtitiis ob aeris alterationem, cathartica exhibere, ſecare aut vrere vetet Hip. & aphoriſ. 5 ſect. 4. Sub cane & ante canem difficiles velit eſſe purgationes. Illud autem Hippoc. θεῖόν τι referunt omnes non ad cœli ſed aeries conſtitutionem. Explodatur ergo vetus illud Aſtrologorum dogma, & aſtris benigna tantum non malefica vis concedatur. Ex ſibiletur è Criſtianorum cœtu diuinatrix illa Aſtrologia, quam D. Baſilius vanitatem appellat occupatiſſimam, Ambroſius inutilem & impoſſibilem, Cyprianus vanam, falſam, ridiculam. Aut n. aduerſa euentura dicunt hi, aut proſpera: ſi proſpera & fallunt, miſer fies fruſtra exſpectando: ſi aduerſa dicunt & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera, iam inde ex animo miſer fies, antequam è fato fias. Si felicia promittũt eaque euētura ſunt, tũ plane duo erunt incōmoda. Nam & exſpectatio te ſuſpenſum fatigabit, & futuri gaudij fructum ſpes tibi iam deflorauerit. Nullo igitur pacto vtendũ eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus. Neque iudiciariis his medicis fides adhibenda, qui ex ſyderum ſolo aſpectu criſes totumque morbi euentum tuto præſentiri poſſe impudentiſſime iactitant.

Reiiciēda Aſtrologię diuinatrix.

Elegans cōtra diuinatores argumētum.

Altera

Altera Astrologorum & Medicorum quorundam opinio qui criticorum dierum causam ad solam Lunam referunt.

Cap. VII.

Solis effectus mirabiles.

Maximæ sunt siderum omnium & cœlestium corporum in hęc inferiora vires, sed Soli ac Lunæ principatus omnino deferendus est. Sūt duo hęc vniuersi lumina & fulgentia sidera, Alterum maius. alterum minus. Sol annos, Lunam menses regit. Solē itaq; diuturnis, Lunā acutis morbis præesse volunt quidam. Sol vt quatuor anni temporū, veris, æstatis, autumni, hyemis auctor est: Ita humores quatuor singulis tempestatibus immutat, propterea scripsit Hip. li. de Natura hominis, morbosqui non diebus, sed mensib. mouentur, æstiuos quidem hyeme, hybernos vero æstate finiri. Solis mirabiles sunt, & pene diuini effectus, vnde Deus olim & creditus, & habitus. Heraclito fons dicitur cœlestis lucis, Tullio dux & moderator reliquorum Luminum, Quibusdam cor mundi, Aristoteles stellam appellat salutarem: prosperam, & γεννητικὴν, quod rerum omnium sit procreatrix & parens: Eius enim calore viuifico vniuersa exhilarantur ac vigēt arbusta gemmas trudunt, terra florib. redimitur animalia cuncta amoris stimulis incitantur in amplexus venereos ruunt ac vberrimo fœtu syluas, terram, mariaque frequentāt, nihil deniq; in sublunari hoc mūdo est ferax, nisi vis illa præpotens Solis fœcunditatem largiatur. Lunæ autem μεγάλα sunt (inquit Gal. cap. 2. lib. 3. de diebus Decretoriis) τὰ ἔργα περὶ τῶν ἐν ταῖσθ' ὅσιαν, ἀλλὰ τῶν ἡλιακῶν ἥττω, id est, magnæ sunt in hęc inferiora vires & effectus varij, sed qui tamen Solis affectibus cedant & secundas teneant. Hæc humorū est concitatrix & motrix. Hæc in humida omnia corpora habet imperiū. Luna inquit Lucilius alit ostrea, implet & echinos muribus, fibras & pecu addit, Sola omniū capitatarū cœpa Luna senescente augetur, iuuenescēte flaccessit, quasi sideris cursum perosa. Hæc terras saturat (ait Plinius) accedensque corpora

Lunæ vires.

Lunæ imperiū in humida corpora.

ra implet, abscedẽs inanit, Luna plena cancri pinguescũt, patet etiam sanguinem hominum cum eius lumine augeri ac minui, frondes quoque ac pabula sentire ea omnia eadem penetrante vi. Hæc mensibus præest, vnde illud Ouidij:

Luna regit menses, huius quoque tempora mensis
Finit, &c.

Qua ratione lunam μήνην antiquitus dictam notat Diodorus Siculus, & ab eo nomine μῆνα, id est, mensem deriuari, Eam Philo ὑπηρέτιν καὶ διάδοχον ἡλίου, Solis ministram & successorem vocat. Maximæ sunt igitur Lunæ in hæc inferiora vires, Ipsa vt scribit Gal. c. 2. lib. 3. de diebus decretoriis, iis quæ oriuntur è terra dat incrementum, animantia saginat, menstrua stato tempore mulierib. sollicitat, morbo comitiali laborantium circuitibus auxiliatur. Hæc autem omnia præstat & motu suo, & lumine. Lumẽ à superioribus omnibus, sed præsertim à sole mutuatur, hinc variæ apparent nobis Lunæ ad Solem accedentis, vel recedentis formæ, configurationes, schematismi, φάσεις dicunt Græci. Prima Lunæ mutatio nihil fere luminis eiaculatur: sit autem cum gradibus quindecim à Sole abest, vocatur hic Lunæ affectus σύνοδος, id est, tempus coitus & coniunctionis. Lunæ cum Sole, ab aliis interlunium, nouilunium, intermenstruum, Luna silẽs. Durat fere trium dierum spatio. Quarto die è coitu Solis egressa, liberam faciem quasi pudore suffusa non audet ostentare, sed falcatam tantũ, tuncque μηνοειδὴς nuncupatur, distat à Sole quadragintaquinque gradibus. A quarto ad septimum sensim incrementum capit, tuncque dimidiatam faciem ostendit διχότομος, id est, in duas æquales partes dissecta dicitur, aut ἡμίτομος, quia mediũ iã iter à nouilunio ad pleniluniũ exegit, nonaginta gradib. abest à Sole. Vndecimo die tota propemodum est illustrata, portione tantũ exili remanente, vnde ἀμφίκυρτος, id est, vtrinq; gibba & curua dicitur: Distat tunc temporis centũ triginta quinq, gradib. à Sole. Tandem decimoquarto die perfecte & vndiquaq; illustrata, liberã plenamq; faciẽ ostentat πανσέληνος appellatur. Ita ergo se habent Lunæ à coitu Solis ad pleniluniũ vicissitudines. Rursum vbi post plenilunium & rutilantem illum splendorẽ ad Solis congressum properat totidem nobis ostendit schematismos: Nã quarta sequẽti die fit ἀμφίκυρτος vt erat vndecimo, deinde tertio

Luna vim omnẽ à Sole accipit.

Lunæ cõfigurationes variæ.

Prima.

Secunda

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Septima tertio septenario διχότομος, postea μηνοειδὴς Tādem donec
Octaua. cum Sole rursum congrediatur sensim decrescit & velut
Nona. abdita lumen suum non impertitur. Quēadmodum porro Luna crescente augentur omnia, vt in animalium cerebellis, ossiū medullis, ostreis cernere est: ita eius abeūte lumine exarescunt inferiorum corporum humores. Cū igitur per quaternarios & septenarios Luna moueatur, crises quaternarnaris & septenariis contingere volunt
Opposita. Astrologi. Hæc n. à prima accessione ad opposita quadrāgula, aut quadrangularum media loca defertur, insignes
Quadrāgula. parit alterationes, in quadrāgulis septimo die magna fit agitatio, in quadrangulorum mediis vt quarto die, non ita vehemēs. At in oppositionibus maxima cōmotio excitari solet, quia Luna & signa, tum radiis, tum qualitatibus sese mutuo oppugnant. Ex quibus colligunt Astrologi, quadrangulorum media quæ quarto die contingūt exiguam habere vim decernendi, sed indicandi maximā, quadrangulis maiorem vim inesse oppositionibus vero multo maiorem. Si (aiunt) exempli gratia ægrotare ceperit quis, Luna arietem occupante, septimo sequenti die maximas alterationes patietur, quia eo die Luna cancrū signum frigidum & humidum arieti calido & sicco con-
Opi. quorundam Astrologorum. trarium tenet. Sunt ex Astrologis quidam, qui Lunā non solū pro variis ad Solē & duodecim signa Zodiaci schematismis, mutationes insignes in his inferiorib. excitare volunt, sed etiam pro diuerso eius motu & positu ad alios planetas, tum ad stellas fixas res mirabiles facere cōtendunt. Itaque Lunam in principio ægritudinis cum malefico aliquo planeta coeuntem, aut in eius quadrato, vel opposito exsistentem maximas alterationes producere cum ad hostiles alios aspectus peruenerit, siue decretorio siue non decretorio die id contingat. Hæc de Lunæ viribus & imperio prædicant Astrologi. Quibus aliqua ex parte videtur assentiri Galenus vt proprio capite demonstrabitur.

Conuellitur ea Astrologorum opinio & demonstratur, Lunam solam per se criticorum dierum causam non esse.

Cap. VIII.

CRises in humerales tantum morbos cadere omnib. vt opinor est, exploratum: Lunam vero in humida omnia corpora imperiũ aliquod habere experientia ipsa fidem facit. Non tamen propterea criticorum dierum hanc vnicam & solam causam (vt sentiunt Astrologi) esse volumus, his persuasi rationib. Crisis motus est humorũ, fitque vt iam ex Galeno annotauimus, τῆς φύσεως διακρινούσης ἀπὸ τῶν χρηστῶν τὰ μοχθηρὰ καὶ παρασκευαζούσης πρὸς τὴν ἔκκρισιν, id est natura secernente humores noxios à bonis eosq; ad excretionem præparante. Si Luna motum hunc facit, aut à se vim eam mouendi habet, aut ab alio, vt aspectu, reflectione, lumine, quadratura, oppositione: Si à se, non magis septima die mouebit quam octaua, que enim primo & per se insunt (ait Philosophus) semper insunt: si ab alio vt oppositione & quadratura, tunc solum mouebit Luna, cũ in eo erit aspectu aut loco: At decumbat hodie Socrates, cras Plato, vterque septimo iudicabitur, cum tamen in eodem aspectu Luna non sit. Obseruauit Gal. c. 7. li. 2. de dieb. Decretoriis, se plures quã quadringentos homines acuto morbo laborantes æstate vnica septimo die perfecte iudicatos vidisse, nõ tamen omnes eadem die & sub eodẽ aspectu ægrotare cœperunt. Ratio 1. Præterea si Luna criticorum dierum causa statuatur, vim eam aut à Sole accipiet, aut à signis Zodiaci: Gal. enim 3. de diebus decretoriis duplicem tantum Lunæ influxum agnouit, alterum à Sole, alterũ à signis obliqui orbis, quę motu proprio singulis mensibus permeat. Si à Sole vim eam decernendi accipit Luna: Ergo ii tantum morbi septimo die iudicabuntur qui nos in nouilunio aggrediẽtur. Nã alioqui, nec diei septimæ Luna dimidia, nec quartædecimæ plena respondebit, in quib. quadrãgularis & aduersa Solis configuratio ciet humores. Si à signis Zodiaci, Secunda

diaci, ergo & sextus dies & decimus tertius erunt perfectè critici. Nam cum inferiora permeans epicycli velocius fertur Luna, sexta die ad quadrata signa pertingit, & interdum tertiadecima ad opposita, cum vero superiora permeans tardius circumfertur sæpe octaua vel nona in quadrangulari apparet loco: Cum ergo Luna omnes

Tertia. quartas motiones & circuitus æquales non sortiatur, nō potest quartanæ aut septimanæ criseos causa ad vnicam & solam Lunam referri. Iam vero quomodo sola Luna criticorum dierum causa statui poterit, cum post vigesimum diem septenarij omnes ad quadragesimum sint critici, vt vigesimusseptimus trigesimusquartus, quadragesimus,

Quarta. pereatque quaternionum vis. post quadragesimū vero vicenarij soli ad centesimum vsque decernant, vt sexagesimus, octogesim⁹, cētesimuspereatq; septenariorū Sed & si Luna ideo tantum crises per quaternarios & septenarios molitur, quia Lunæ motus per quadras & septimanas perficitur, cur nō similes in animaliūgeneratione, conceptu, vita, nutritione, actione producit effectus? At quis vnquam obseruauit septimo quoque die vētriculum perfectius coquere, semen in vterum iniectum validius esse, cæteraque naturæ opera die septima felicius aut infelicius edi? Si in solis morbis septenarios hos Lunæ motus vim suam exerere putas, mirum profecto erit cœli quartas tam angustis arctare cancellis. Proferam

Quinta. hic elegans Fracastorij argumentum. Certissimum est, actionem omnem non nisi contactu fieri Cœli contactus mathematicus nō est sed Physicus: Emittitur ergo à cœlo quidpiam, non corporeum, minueretur enim sensim, sed spirituale, qualitas quippe contrario carens, quæ ideo momento diffunditur, vt lumen: Qualitas hæc spiritualis aut primas producit qualitates, vt lux calorem, aut vim aliquam fugandi, trahendi, non ab hac vi crises fiunt, cū in indiuiduis hæc omnia insint magis propriè: Ergo à cœlesti lumine: At lumen non alia diem agis calorē suggerit quam alia, nisi quo plus ad terram reflectit, quod in Sole quidem accidit, quanto aut propinquior aut directior est: In Luna vero quando plus luminis à Sole accipit, accipit autem plus, quo magis ab eo remouetur: Quare cum octaua die magis recedat, quam septima, plusque luminis & caloris impertiatur, octaua erit potius

Sexta. critica quam septima. Postremo si luna ideo criticorum

dierum

dierum statuatur causa, quia per quadras & septimanas mouetur, necesse erit semper quadras & septimanas Lunæ cum morbi quaternionibus & septenariis concurrere At rarissime contingit vt septenarij morborum dies cum septenariis Lunæ coincidant, estque perpetuæ veritatis septenarios omnes perfectè decernere. Non potest igitur Sola Luna proxima & immediata criticorũ dierum causa statui. Eius maximas in hæc inferiora vires non negamus, sed quicquid præstat, id Lumini tantum & motui referendum putamus. Quod enim crescentis Lunæ tẽpus plantationi sit opportunum, id ideo contingit, quia largiore semina humore cibata velocius adolescunt, decrescentis vero Lunæ tempus cedendis arboribus ideo est commodum quia tunc luna siccior. Laudat Hesiodus nonam Lunæ diem arboribus conserendis & decimam tertiam, quia insita vis radicibus pleniore iam lumine spargitur decimam sextam negat idoneam plantationi, quia deficiens lumen germina satis non euocet. Sunt ergo omnes Lunæ effectus à lumine: At lumen criticorum dierum proxima & immediata causa esse non potest.

Noua opinio Fracastorij, qui dierum criticorum causam refert ad motum humoris melancholici.

Cap. IX.

Doctissimus Fracastorius libello de causis criticorũ dierum, nouam & inauditam crisimorum dierũ rationem commentus est. Refert omnia ad motum humoris melancholici, cuius cum hæc sit proprietas, vt quarto quoque die moueatur, quaternarios omnes ideo criticos esse putat. Sunt autem eius opinionis hæc præcipua fundamenta. Raro contingit vt transeunte in humores vitio aliquo vnus tantum humor corripiatur: Nam vt plurimum vel duo, vel plures vitium idem concipiunt, aut simul, aut post. Quippe in ea sanguinis massa, quæ intra venas continetur confusi commixtiq; sunt & reliqui vocati humores, bilis, pituita & melancholia, sed ita vt partim actu partim potentia in ea massa sint, potentia quidem quia ad minimas & indiuisibiles particulas redacti sunt

Fundamenta Fracastorij. Primũ.

actu vero quia proprij generis rationem habent: Ob e&
igitur confusionem raro fit vt labes vnius alteri non cō-
municetur. Dum vero putrescere incipit humor, fit sta-
tim eius secretio, naturæ solius vi deinde excretio: Hu-
mor qui secernitur si simplex sit, neque alio adulteratus,
crisin nullam efficiet, sed paroxysmum tantum, quotidia-
num quidem si pituitosus sit, tertianum, si biliosus, quar-
tanum, si melancholicus. Quod si permixti sint & confu-
si humores nunc omnes simul mouebuntur, nunc vnicus
tantum, nūc duo, vnde dierum alij placidissimi, alij acer-
biores, alij acerbissimi erunt. Placidissimi illi sunt, in qui-
bus nulli humores mouentur, acerbiores, in quibus vnus
acerbissimi in quib. omnes, & hi ad crises sunt aptissimi,
quia magis irritatur natura, à quo stimulo fiunt crises.

Secundum. Porro quoniam nec crisis fit nisi digesto præparatoq; humore, perfecta autem absolutaq; digestio non est, donec quod crassius est ac segnius digestum ipsum sit, crassior vero & segnior omnibus est melancholia: Inde fit vt potissimum circa melancholiæ & motus & digestiones attendantur crises. Fit autem melancholiæ motus per quaternarium: Fient igitur crises per quaternarium melancholiæ circuitum. Demus exempli gratia bilem in aliquo ægrotante peccare, eamque cum pauca pituita & melancholico humore permistam esse, simulatque putrescere incipiet bilis, reliquos etiam inquinabit humores, itaque grauis erit primus ille paroxysmus. Secunda dies quietissima redibit, in qua nullus humorum fiet motus, ac tertia paroxysmum quidem bilis sentiet, crisin tamen non faciet, tum quia stimulus nondum maximus, tum quia totum nondum digestum est: Quarta autem dies motum habebit melancholiæ, sed latentiorem, quia non multum est quod tunc mouetur de melancholia, partim quidem quia sub peccabat solum, partim quia putrefactio eius quodammodo pendet à bile, qua cessante in die quarta, aliquem quidem motū dat melancholia, ob concepta putrefactionis semina, sed paruum & laterem, quia origo & fomes putrefactionis quiescit. Quinta, bilis motum videbit: sexta nullius: at vero septima acerbissimum omnium paroxysmum apportabit, concurrentibus simul humoribus omnibus qui peccabant, ac largius melancholia, quoniam ex alterius contagione & impulsu non parum motionis recipit: Qua

die quoniam & digesta fuit melancholia (fuerat enim subtilis & pauca, nata cito terminum recipere) continget crisis: stimulus enim acerbissimus in ea fit & totum digestum est, in aliis autem diebus aut stimulus abfuit, aut digestio.

Tertiũ. Cæterum cum melancholiæ modi & conditiones multiplices sint (sæpe enim pauca est, sæpe multa; interdum crassior, interdum tenuior, modo tenacior, modo soluta magis, modo calidior, modo frigidior) ex hac diuersitate fit, vt putrescente cholera, quandoque simul & eadem die computrescat melancholia, modo in initio paroxysmi, modo in medio, modo in fine: interdum non simul & eadem die sed secunda tantum: interdum & tertia solum fortasse & quarta tantum. In acutis morbis prima die motus fit vtriusque humoris, quia acuti morbi à tenuiori & pauca & calidiori materia fiunt: In tardis autem & diuturnis, quorum materia frigida est, crassa & tenax, moueri melancholiam accidit non nisi die tertia: quod si materia crassissima sit, fortasse non nisi quarta. In mediocribus autem morbis, quorum materia media est quantitate, qualitate & crassitie, die secunda moueri incipiet, & computrescere melancholicus humor. Ex diuerso itaque melancholici humoris motu diuersæ contingunt crises & tres eorum ordines statui possunt. Nam si prima die cum cholera simul & melancholia commoueatur (vtar verbis Fracastorij) quod in acutis fit morbis, quartanariæ periodi erunt 4. 7. 10. 13. raro enim vltra hos procēditur status in acutis. Si extreme peracutus sit morbus crisis in quartũ diem cadit, quia materia paucissima est, subtilissima & feruens: si acutus segnior ad decimumtertium diem prorogabitur, si medius inter extreme paracutos & acutos mitiores, septimo die iudicabitur, atque hic primus erit criticorum dierũ ordo.

Tres ordines dierum criticorum Primus.

Secundus. Secundus ita numerari debet. Si non prima die sed secunda solum motum dederit melancholia, quod in mediocribus morbis accidit, tum quaternariæ periodi erunt 2. 5. 8. 11. 14. 17. 20. vltra autem rarissimè in mediocribus producitur status, sed maxim 11. 14. 17. 20. è erunt critici.

Tertius. At si tertia solum die motum recipiat melancholia, quod in chronicis morbis fit in quibus crassa valde, & tenax, & multa materia est, periodi quidem erunt 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. raro autem vltra

contingunt crises. Maxime autem criticus horum erit vigesimus primus, mox vigesimus septimus, mox quintus decimus. Si enim materia crassa quidē ac tenax sit, pauca autem in eo genere ad quartumdecimum status erit, si vero crassa ac valde multa ad 27. si vero in eo genere mediocris ad vigesimum primum. Hæc noua est Fracastorij de diebus decretoriis opinio satis meo iudicio implicata, quam acutis & necessariis argumentis conuellit eleganter Ferrerius libello quem edidit de diebus Decretoriis.

Conclusio Fracastorij.

Conuellitur opinio Fracastorij.

Cap. X.

MIrum est eximium hunc Philosophum in stabiliēdis nouæ suæ opinionis fundamentis ita misere allucinatum fuisse, vt infinitos laqueos non præuiderit, quib. se irretiri mox sentiet. Nam cum ad venationem causarum duo sint tantum canes, ratio & experientia. Quæcunque à Fracastorio de diebus criticis proponuntur, rationi & experientiæ omnino aduersari æquus veritatis iudex æstimabit. Obseruatum est longa experientia, dierum alios esse verè criticos & principes, tales sunt septimus, quartusdecimus, vigesimus: Alios indices, eiusmodi sunt quartus, vndecimus, septimusdecimus. Alios intercidentes quales sunt tertius, quintus, nonus, tertiusdecimus, nonusdecimus. Hoc primus omnium admirandus Hipp. prodidit, Hoc voluerunt Heraclides, Archigenes, Philotimus, Hoc millies mille in locis scriptum testatumq; reliquit Gal. At noua hæc opinio, omnem veteris doctrinæ auctoritatem erroris insimulat, dum nouum criticorum dierum ordinem comminiscitur: Tres enim eorum statuit ordines. Primi ordinis sunt 4.7.10.13.16.19.22.25.28 Secundi 5.8.11-14.17.20. Tertij 6.9.12.15.18.21.24.27.30. Quis quæso decimum diem, decimumsextum & decimumnonū inter verè decretorios & primi ordinis vnquam obseruauit? Quis octauum & decimum quartum eiusdem esse ordinis vnquam expertus est? Quis veterū vigesimumsecundum, vigesimumoctauum decernere vnquam voluit? Experientiæ ergo & veterum omnium auctori-

Impugnatio prima.

auctoritati aduersatur noua hæc criticorum dierum cõfusio. Sed & rationi quoque pugnantia profert Fracastorius. Primum enim pro rato id adstruit crises in eos tantum morbos cadere, quorum materia intra venas continetur: Quod quam sit absurdum quis non videt? Partiũ omnium phlegmone aut alia inflammatione obsessarum materia putrescens extra venas est: At in illis inflammationib. criticos dies & peculiares crises obseruauit Hippocr. & nos medicinam facientes experimur quotidie. Sic Hepatis propriam habet crisin per vrinas si conuexa, per alui proluuiem, si caua phlegmone infestentur. Sic ventriculi erisypelas, quod febre indicatur lipyria, propriam habet crysin choleram, id est, bilis sursum deorsumque vacuationem, quod ita in Coacis indicauit Hip. τὰ λειπυριακὰ μὴ χολέρας ἐπιγινομένης οὐ λύεται, id est, lipyriæ febres non nisi cholera superueniente exsoluntur. Quis in earum inflammationum crisibus, causam ad humoris melancholici motum referet, cum erisypelas à pura & impermista bile, plegmone autem ex solius sanguinis affluxu fiat? Quod autem ille contendit nunquam humorẽ purum & impermistum in corpore reperiri, falsum est. Nam in vesicula fellea, bilem sinceram neque alio quouis humore adulteratam contineri docet αὐτοψία & ipsa etiam suadet ratio; secernitur enim à massa sanguinea & à vesicula trahitur, occulta quadam nobisq; incognita proprietate. Præterea dum putat Fracastorius humorem vnum putrescere non posse, quin & alij omnes eandem statim contrahant labem; omnem intermittentium febrium & paroxysmorum naturam euertit funditus. Nam in tertiana febre sola bilis putrescit, in quotidiana sola pituita, in quartana solus melancholicus humor; accenduntur quidem omnes si eorum vnus flammam conceperit, sed solus qui paroxysmum creat putrescit humor, alioqui spuriæ essent omnes intermittentes nulla vnquã exquisita tertiana. Iam vero quid opus est coctione humoris melancholici in omnibus morbis, vt somniat Fracastorius? Solus qui peccat humor coquendus est, secernendus, excernendus, solus enim ille naturam ad excretionem stimulat: At acuti fere omnes à bile fiunt & diebus mouentur imparibus, sola igitur bilis mitificanda, nec vt perfecta fiat crisis melancholici humoris coctio exspectari debet. Adde quod si humoris melancholici

Impugnatio Secũda.

Impugnantia 3.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

coctio semper exspectanda esset, nunquam die tertio crisis contingeret, quia melancholicus humor quarto tantum die mouetur: At sæpe tertio die iudicantur morbi extreme peracuti, & tertium diem primum intercidentium numerāt omnes Medici: Explodatur ergo nouum hoc dogma, experientiæ rationi omnino repugnās.

Sexta.

Quid Hippoc. de criticorum dierum causis sentiat.

Cap. XI.

HIppocratem criticorum dierum causam ad numeros retulisse existimarunt docti quidam. Nam libello περὶ ἀρχῶν de septenarij viribus multa eaque præclara scriptis mandauit, vitā hominis septenariis dispensari voluit, & epistola quadam ad Thessalum filium numerorum rationem ad τῶν νοσημάτων τὰς κρίσιας, ad ægrotantium iudicia conferre pronuntiauit. Necessitatem autem naturæ, & cur per septenarios singula hæc contigant, pollicetur quidem se aliquando explicaturum, sed rei (vt opinor difficultate perterritus, id non præstat. Ego diuinum Senem numeris tantum tribuisse, vt eos criticorum dierum causas esse voluerit nunquam mihi persuasi, sed septenarium. naturæ quandam legem, cuius ratione tanquam exemplari omnia dispenentur agnouisse credidi. Sic Aristoteles libris de cælo, ternarium naturæ legem appellat, secundnm quem naturalia omnia disponantur. Neque etiam ad Lunæ vim & siderum aspectus, criticorum dierum causam vnquam retulisse Hippoc. legimus: Sola igitur experientia in explicandis crisimorum dierum viribus cōtentum fuisse, cum Arabum principe Auicenna existimamus. Obseruauit admirandus ille vir, naturam dum regulariter & definito motu humores regit? imparibus diebus mouere, idque ex tribus potissimum. ex iis quæ diebus tum paribus, tum imparibus contigunt; vidit parium crises imperfectas, impariū perfectissimas. Secundo ex his quæ diebus indicibus apparent: vidit septenarios quoslibet suos habere indices, quibus si coctionis signa appareant, salutaris septimo quoque die crisis sperati

Sola experiētia contentus fuit Hip.

Prima obseruatio.

Secūda.

ſperari debet. Tertio ex paroxyſmorum obſeruatione, vidit acutos morbos imparibus exacerbari diebus, propterea iiſdem diebus criſin exſpectandun eſſe. Solent n. iiſdem diebus iudicari morbi, quibus exacerbantur. Huius experientiæ rationem aliquam afferre conatus eſt lib. 4. de Morbis. Iudicantur (inquit) morbi diebus imparibus, quia trahit corpus de ventriculo diebus paribus, expellit autem diebus imparibus ſi ſanus ſit homo. Itaque in ægris primum colligitur humor, deinde collectus ſecernitur, tandemque excernitur. Dum colligitur nulla fit pugna, dum collectus eſt, iam naturæ faceſſit negotium. tunc exacerbationes fiunt, irritatur natura ad excretionẽ, fitque criſis, propterea eodẽ libro diebus imparibus cathartica exhibere vetat Hippoc. Qui enim diebus imparibus medicamento forti vſi ſuat, nimium ſunt purgati & multi perierunt, at qui cathartico diebus paribus vſi ſunt, hi nimium purgati ſunt nunquam, Hæc Hip. de diebus decretoriis.

Tertia.

Cur diebus imparibus morbi iudicẽtur.

Opinio Gal. de cauſis criticorum dierum.

Cap. XII.

Galenus, Hippocratis obſeruatione & experientia non cotentus, cauſam criticorum dierum per aſtrologica principia demonſtrare conatus eſt, idque vt amicorum precibus obtemperaret. Itaque præcipuã criſimorũ dierum cauſam ad Lunæ motum & lumen referendam putat. De eo motu & lumine multa ex veterum Ægyptiorũ doctrina repetit lib. 3. de diebus Decretortiis, vultq; varios eſſe Lunæ aſpectus tetragonos, trigonos, diametros, & quoniã Lunæ motus per quadras & ſeptimanas perficitur, ideo ſeptenarios & quaternarios in acutis morbis potenter decernere cõtẽdit. Vt autẽ demõſtret vigeſimum diẽ potius eſſe criticũ quam vigeſimum primũ, mẽſẽ fingit, quẽ criticũ & medicinalẽ vocat: Cuius natura vt innoteſcat, illud inprimis annotãdũ, tres mẽſes lunares pro vario Lunæ motu ab Aſtrologis cõſtitutos fuiſſe. Primus συνοδικὸς dicitur, id eſt, coniunctionis ſeu conie-

Tres mẽſes lunares.

Mẽſis cõiunctionis.

cutionis, cum μηνιαῖον χρόνον simpliciter vocat Gal. Est autem totum illud tempus, quod inter vnam coniunctionem & aliam interiacet: mensem hũc viginti nouem dierum, duodecim horarum minutorumque quadraginta esse tradunt recentiores. Secundus mensis περιοδικὸς dicitur, id est, peragrationis, quo Luna ab vno Zodiaci pũcto recedens ad idem punctum integro circuitu emenso redit. septem est atque viginti dierum & horarum octo. Tertius mensis φάνσεως dicitur, id est apparitionis, illuminationis illustrationis. Est autem interuallum à primo nascentis Lunę conspectu, ad vltimum vsque diem euanescentis, Hic mensis inæqualis esse solet nunc longior, nunc breuior, longior quo minori tempore occultatur luna, breuior quo diutius delitescit lumenque suum non impertitur, constat tamen vt plurimum viginti sex diebus & horis duodecim. Gal. cum his mensibus dies suos accommodare non posset quod vel suum excederent numerum, vel eum non complerent, cumque videret ex tribus his mẽsib⁹ demõstrari nõ posse vigesimũ diem potius esse criticum quã vigesimum primum, quartum mensem commentus est, quem medicinalem vocat. Mensis peragrationis id non docet, quia eius mensis tres septimanæ viginti dies & duodecim horas constituunt, qui numerus medius est inter vigesimũ & vigesimũ primũ, adeo vt si tunc contingat crisis, nec huius sit, nec illius diei. Ex mẽse coniunctionis id demonstrari nõ potest; Sunt enim huius mensis septimanæ longiores: tres quippe septimanæ duos & viginti dies cum horis tribus cõtinent. Neque etiam id docet mensis illustrationis, quia indeterminatus est, modo breuior, modo longior: Quartus ergo statuendus est mensis peragrationis & illustrationis, ex simul iunctis mensibus conflatus: si namque vtrũque iungas nascẽtur quinquaginta tres dies cũ viginti horis: si dies tres in æquales secentur partes, nascetur mensis medius viginti sex dierum & 22. horarum, cuius mensis quælibet septimana sex erit dierum cum horis septem, duæ vero septimanæ dies 13. & horas vndecim, tres septimanæ dies viginti & horas quatuor cõtinebũt. Itaque tertiæ septimanæ finis in vigesimum diem cadet, vnde hic potius criticus quam vigesimus primus statuendus. Hæc Gal. est de crisimorum dierum causis sententia, quam & Astrologi & Medici omnes damnarunt: Fictitium enim

Mensis peragrationis:

Mẽsis apparitionis.

Gal quartũ finxit mensem & cur

enim&portentosum eum menses vocant. Legite quæ de eo mense contra Gal.scripserunt, Picus Mirandulanus, Petrus Aponensis, Hieronimus Cardanus, Manardus Fracastorius.

Nos quid sentiamus de causis dierum criticorum.

Cap. XIII.

POsteaquam ex his dissentientium opinionum paulo spinosioribus senticetis euasimus, iam tempus est. vt in tutum & tranquillum portum eos recipiamus & quid de criticorum dierum causis sit sentiendum, breui dilucidaque oratione aperiamus. Dierum criticorum causam duplicem agnoscimus: alteram materialem, efficientem alteram. Materialis, humor est noxius, qualitate aut quãtitate peccans, non melancholicus tantum, vt voluit Fracastorius, sed etiam biliosus, pituitosus, sanguineus, siue ille simplex sit, & syncerus, siue adulteratus. In solos enim humorales morbos crisin cadere cum Gal. & Auic. existimamus. Efficiens causa duplex est, Altera vniuersalis & remotissima, altera particularis, interna proxima. Vniuersalis non criseωn modo, sed & omnium motionum, quæ in sublunari hac regione contingunt causa, statuatur cœlum, cuius vires fere omnes Luna inferior & citima terris excipiat easque nobis communicet. Eam Auerrhoes tertia colliget, nullius fere in medicina considerationis esse vult. Particularis & proxima criseωn causa natura est, quam siue facultatem corpus dispensantem cum Gal. siue calorem insitum cum Hippoc. siue temperiem, siue spiritum voces nihil interest, Hæc licet ἀπαίδευτος καὶ ἀμαθὴς, licet consilij & rationis sit expers, motus tamen edit certos & constanti ordine definitos, vt ratione & consilio quasi niti videatur. Hæc apud Hippocrat. primo de Diæta μοῖραν habet πεπρωμένην, id est, fatalem vitæ & mortis necessitatem. Hæc vt scribit Gal. secundo de diebus deretoriis (ordinata quædam res est, quæ motiones suas statis circuitibus persi-

Causa duplex criticorũ dierum.

Materialis.

Efficiens

Vniuersalis.

Particulari.

Naturæ mirabiles proprietates.

cit. Hæc sibi ipsi leges imponit, quas nunquam euertit; sed tamen quasi μιμαλλίχως, facere sic ipsa didicerit & consueuerit, eas sine inconstantia & ordinis mutabilitate exsequitur. Hæc vnica est morborum medicatrix. Hæc sola crises molitur, dum humores coquit, secernit, excernit. γίνεται γὰρ κρίσις natura secernente humores noxios à bonis, eosque ad excretionem præparãte. Hæc vias etiam occultas inuenit, quibus morbos expellit, vnde Synesius & Plotinus eam velut magnam agnoscunt. Zeno artificiosum ignem vocat, quod habeat quasi viam quãdam & sectam quam sequatur, Anaxagoras mentem appellat.

Naturæ errores à mate ria sunt.

Quod si errare eam contingat aliquando, id à materiæ contumacia & eiusdem ἀνωμαλία fit. Quæcunque in corporibus nostris contingunt mala, tumultuantis potius & deficientis materiæ opera sunt, quam sapientis naturæ. Statuatur ergo Natura, criticorum dierum particularis & proxima causa efficiens. Materialis vero sit humor omnis. Videamus nunc quomodo vtraque causa ad crises & solutiones morborum concurrat.

Quomo do ad crises cõ curãt efficiẽs & materia lis causa.

Quod tardior sit & celerior crisis, id partim materiali, partim efficienti causę acceptum referimus. Quod nunc pari, nunc impari die contigat crisis, id ad materialem tantum causam humoris scilicet peculiarem motum referimus. Quod septenariis tantum perfectæ & salutares crises perficiantur, id totum efficienti non materiali concedimus. Quæ quoniam multis obscuriora videri poterunt, illustranda sunt nobis.

Vnde tarditas & celeritas crisis

Celeritas & tarditas criseus, materiæ dispositionem & efficientis vim sequitur. Humor si temperamento sit calidus, substantia tenuis & qualitate benignus, facilius à natura domabitur, celerius coquetur & excernetur: si crassus, frigidus & contumax, difficilius coquetur: si item validior sit natura celerius coquet, si debilior, tardius.

Vnde paritas & imparitas.

Paritatis vero & imparitatis causa, ad solum humoris motũ referri debet: Nam bilis tertio quoque die mouetur, pituita quotidie. melancholicus humor quarto die: Ergo biliosi omnes morbi imparibus iudicabuntur diebus, vt sanguinei & pituitosi paribus, quia iisdem diebus iudicantur morbi quibus mouentur. solet que in idem tempus incidere crisis cum accessione Cur autem bilis tertio quoque die, melãcholia quarto, pituita quotidie moueatur explicare difficilimum est. Alexander Aphrodiseus rationem aliquam reddere conatur.

Quominus

Quominus (ait) materiæ subest, eo lentius redit accessio: ita autem à natura comparatum est vt sanguis qui nostra aleret corpora esset largior, continuamque putrescens succenderet febrem. Secundum locum pituita obtinet, nam & hæc corpus alere potest. Bilis flaua tertium occupat, quoniam ob suam acrimoniam nihil alimenti præstat: At atra bilis sortis est postremæ, naturæ infesta, quæ membra excedit & interimit. Sed hæc vera periodi causa non est. Nam humoris copia lōgiorem tantum, aut breuiorem paroxysmum facit, nō paritatem & imparitatem. Bilis flaua etiam si copiosior sit, non frequentius quam tertio die, nec melancholia frequentius quam quarto efferatur. Sic acuti omnes morbi, quia vt plurimum à bile fiunt, eaque copiosissima, licet continuo affligant, imparibus tamen diebus ob bilis motum exacerbantur. Causa igitur tertiani, quotidiani & quartani motus ad humoris proprietatem referenda est: hæc autem proprietas occulta est, nec minus admiratione digna quam magnetis aut catharticorum qualitas. Fit itaque ob solius materialis causæ conditionem & motum, vt crisis nunc paribus, nunc imparibus contingat diebus. Quod vero soli septenarij perfecte sint critici, id totum efficienti causæ tribuimus. Natura definitum sibi elegit tempus, quo motus suos & crises perficit. Tempus illud sola experientia manifestum euadit: Ad docet experientia septimo die, decimo quarto, vigesimo perfectas & salutares crises sæpe contingere. Sunt igitur præfixi illi dies & à natura ordinati. Cur autem septenarium potius, quam alium numerum sibi pro deliciis elegerit natura, licet altioris sit contemplationis, hoc tamen ideo factum volumus, quia rerum omnium Parens & Creator Deus eam naturæ legem imposuit. Nam & diei septimo benedixit Deus, & eum filiis Israel tanquam celebratissimum commendauit, & septimo die post absolutam vniuersi istius, quod oculis cernimus creationem, quieuit ab operibus suis. Natura ergo cuiusque particularis crises septimo quoque die perfectas molitur, nec eas alio vnquam aggreditur die, nisi aut impedita, aut lacessita, vnde fit vt intercidentibus diebus, interdum cōtingant crises vt postea demōstrabitur. Iuuari porro naturā hanc particularē ab vniuersali illa & cœlesti non inficiamur, vt si qnando accidat

De motu humorum opinio Alexandri.

Causa periodi ad proprietatē humoris referenda.

Cur soli septenarij perfectæ sint critici.

Cur septenariū numerū elegit natura.

accidat lunæ ſeptimanas cum ſeptenariis morbi diebus concurrere, Criſis inde ſperetur facilior feliciorque.

Cur vigeſimus dies ſit potius criticus quam vigeſimusprimus.

Cap. XIV.

Vulgaris interpre pretatio

VNicus hic ſupereſt nobis eximendus ſcrupulus, qui multorum ingenia quam diutiſſime torſit, Cur cũ ſeptenarij omnes perfecte ſint critici, vigeſimus dies ſit potius criticus, quã vigeſimusprimus. Vulgare reſponſũ eſt vigeſimum diem finẽ eſſe tertiæ ſeptimanæ, quia ex tribus ſeptimanis, ſola prima integra numeranda eſt, ſecunda cũ tertia copulatur, adeo vt quartusdecimus dies finis ſit ſecundæ & principium tertię. Alij dicunt ex ſummi Hippocrates doctrina in Progn. ſeptimanas integras numerandas non eſſe, vt neq; dies, neque annos, proptereaque tertiæ ſeptimanæ finẽ in vigeſimum diem cadere: Sed non ſatisfacit nobis, nec Philoſophantium animos explet vtraque interpretatio: Non enim explicat cur priores duæ ſeptimanę integræ ſint & tertia imperfecta, nec cur criſis quæ vigeſimo primo die (qui tertium complet ſeptenarium) contingere deberet, vigeſimo die vere ſemper anticipet. Gal. vt id demonſtraret, menſem commentus eſt criticum & medicinalem, ex menſe peragrationis & illuſtrationis ſimul iunctis conflatum. Sed quoniam fictitium illum menſem Aſtrologi & Medici omnes improbarunt, cogimur etiam nos à Gal. decretis recedere & alias fortaſſe probabiliores huius rei cauſas ex efficienti & materiali petitas proferre. Ita igitur Philoſophari libet. Certiſſimum eſt, criſin omnẽ naturali motu perfici, coctio quippe, ſecretio, excretio naturalis facultatis munia ſunt: At naturalis motus ab animali in eo diſtinguitur, quod animalis, id eſt, voluntarius in principio ſit velocior, in fine tardior, fatigatur enim ſenſim: Cõtra naturalis in principio tardior eſt, in fine celerior: Natura itaque dum primos ſeptenarios compleuit, tertium non omnino perficit, ſed ad finem ſuum celerius properat, & criſin vigeſimoprimo futuram præuertit, adeo vt in vigeſi-

Gal. ratio nulla

Rationes noſtrę.

Prima.

gesimum cadat. Quod autem naturalis motus in fine velocior sit, docet Aristoteles quinto & octauo Physicorum necnon primo & secundo lib. de Cœlo. Strato autem discipulus Theophrasti id duobus illustrat exemplis. Alterũ est aquæ defluentis ex tegulis, quã si quis ex alto cadentem intueatur, videbit eam in principio fluere continuam mox diuulsam, dum ad terram accedit proxime: Diuellitur autem ob maiorẽ impetum & celeritatẽ, quia fertur circa finem motus. Alterum, si lapis è sublimi loco proiiciatur, grauiorẽ ictum faciet in fine illius spatij, per quod mouetur, quã in medio. Ex parte igitur efficientis causa, naturæ scilicet. probabilis hæc ratio afferri potest. Altera est ex parte materiæ. Materia morbifica septimo die, aut quartodecimo iam attenuata, mitificata. & quasi omnino à natura deuicta vigesimumprimum diem non expectat, sed vigesimo quasi sponte & nulla vi à natura extruditur, vt si quis abhorrrenter manibus excusserit, aut parietẽ ter ariete percusserit. quarto ictu quasi spõte corruet. Ceterum nõ est perpetuæ veritatis, crises omnes in vigesimum diem cadere: Nam & plerique vigesimo primo perfecte sunt iudicati, vt propterea Archigenes & Diocles vigesimumprimum potius criticum quã vigesimum esse voluerint, sed contra eos lib. 2. disputauimus.

Naturalis motus in fine velocior est

2. Ratio.

Quæ causa sit dierũ indicantium & intercidentium.

Cap. XV.

Cum quilibet septenarius suum habeat indicẽ quartum scilicet, eius rei causam scrutari placet. Axioma est Physicum & Arithmeticum, partes de proximis suis totis indicare. Hoc exemplo rerum externarum satis patet, quarum perfectionem integritatemq; mox ad futuram iudicamus, visis propinquis partib. vt cum architectus ex fundamentis parietes, ex parietibus tecta perfectamque ipsam domum mox apparituram colligit. At constat septenarij partes, in quas proxime resoluitur, duas esse, quatuor scilicet & tria, sed quaternarium propinquiorem esse indicabit ergo quartus septimum, vn-

Cur quartus 7. indicet. Ratio 1.

decimus qui secundæ septimanæ quartus est decimumquartum & decimusseptimus qui tertiæ septimanæ quartus est vigesimũ. Quinetiã quartus dies septimanæ medius est, paremque cum extremis habet societatem vnde fit vt si primus dies morbum discutere aggrediatur, ei finem 4. imponat, si 1. nil tenet, sed 4. morbum iudicare aggrediatur 7. finem imponat.

Causæ intercidentium dierum.

De intercidentium dierum causis pauca quædam lib. 2. annotauimus. Quæcunq, diebus his contingunt crises præter naturæ institutum fiunt, eruptione prius facta quam opporteat, quod appellat Hip. lib. περὶ χυμῶν, προεκρήγνυσθαι, id est, ante tempus erumpere, dum natura ab aliqua causa lacessita aut irritata in immaturam iudicationem erumpit. Fuerat primum hoc naturæ institutum, hanc ea sibi legem præfixerat, nunquam nisi septenariis crises moliri, sed ob materiæ inordinatos motus cogitur eam legem euertere, & reliquis diebus quos intercalares vocant, vt tertio, quinto, nono, decimotertio, humorẽ nondum plane coctum, aut dum noxiis salutares quoque excernere, vnde imperfecta crisis, hinc relapsus. Sunt enim apud Hip. tres tantum relapsus causæ ἂν προεκρήγνύωνται, ἢ προεκκρίνωνται, ἢ ἐγκαταλείπωνται, id est, si prærumpant, aut prius excernantur, aut intus relinquantur. Causæ porro naturam cogentes ante tempus, id est, ante septenarios crisin moliri, aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Externæ sunt Medicus, æger astantes & exteriora. Medicus peccat sæpe ignorantia audacia, timiditate. Æger vel medici non obsequitur mandatis, vel sibi indulget nimium τὰ ἔξωθεν varia sunt, quæ naturæ ordinarios motus interturbant vt animi pathemata intempestiua victus ratio. Sic apud Hip. in Epidemiis, Philonis filia quia septimo die lautius cœnauit, interiit. Internæ causæ naturam stimulantes tres sunt, Morbus, causa morbi, & paroxysmus. Morbus si peracutus sit & malignus, naturam ante septimum diem humorem excernere coget, Causa morbi humor est, qui furens & concitatus (ὀργασμὸν humoris vocat Hippoc) ante coctionem foras erumpit. Accessio vt scribit Gal. capite octauo, libri tertij de diebus decretoriis, ex eorum etiam est numero, quæ irritant & prouocant, propterea in acutis morbis crises diebus contingunt imparibus, quia in his accessiones fiunt. Sunt hæ dierum intercidentium, & criseon, quæ in illis

Ratio 1.

Tres causæ relapsus.

Causæ naturã cogentes.

Externæ

Internæ causæ.

accidere

accidere solent, omnes causæ. Hoc vnicum superest annotandum intercidentes dies in acutis tantum morbis reperiri, nec vltra vigesimum diem excurrere, quia post vigesimum, humoris impetus sensim languet, nec ita concitatus est, vt naturã irritare possit. Atque hę sunt criticorum dierum & principum, & indicantium, & intermittentium causæ, in quartum enarratione, si quid est, quod doctiorum offendat animos, rogo obtestorque eos, ne id tam exilitati ingenij quam rei magnitudini tribuendum putent.

Intercidentes dies in acutis tã tum morbis repe riuntur.

Finis libri tertij & vltimi de crisibus.

LAVS OMNIPOTENTI DEO.

METHO

METHODVS VNIVERSALIS AD PROGNOSIN ET CRISES OMNIVM morborum, sed præcipue acutorum conferens.

Quæ quolibet morbo spectanda sint.

CAPVT. I.

Tria in omni morbo consideranda

TRIA in omni morbo Medico diligenter aduertenda docet Gal. mille in locis, διάγνωσιν, πρόγνωσιν & θεραπείαν: Ex quibus postremũ propter se expeditur (officium namq; est Medici, curare apposite ad sanandum.) Reliqua duo propter tertium? Incogniti enim aut deplorati affectus curationem nunquam aggredietur prudens Medicus.

Diagnosis.

Diagnosis circa tria versatur, morbi scilicet, causæ morbificę & affectæ partis notitiã.

Prognosis.

Prognosis indicat vincere ne an vinci morbus possit.

Curatio

Curandi ars normam præscribit & regulam cõuenienter cuique medẽdi per Diætam, Chirurgiam, Pharmaciam.

Diagnosis prior.

Diagnosis, natura ac tẽpore prior est, & vt scribit Hippo. libello de arte, si sufficiat Medicus ad cognoscendum, sufficiet ad curandum.

Prognosis nobilior.

Prognosis dignitate diagnosin antecellit: Futuros enim morborum euentus pręuidere admirabile est, & quasi diuinationi proximum.

Curandi ars nobilissima.

Curandi ars omnium nobilissima, quia finis apud Philosophos nobilior est iis quæ ad finem. Ab hac nomen accepit

cepit medicina: propter hanc medici olim quasi mortales quidam Dij & crediti,& habiti, quod mortalibus hominibus vitalem vitam & sanitatem impertirentur. Diagnoseos tria sunt tantum capita, dignotio morbi, partis affectæ & causæ morbificæ: Quæ tria interdum certissimis& syllogisticis signis (Græci τεκμήρια vocant nonnunquam sola artificiali coniectura dignoscuntur. Morbi aut externi sunt aut interni. Externi, quia sensibus patent, omnibus etiam rudioribus sunt noti: Interni vero, quia oculorum aciem & obtutum effugiunt,periti artificis expertique medici industriam postulant. Quam sæpe ait (Celsus)similitudines bonis & peritis imponunt: Sunt tamen propria cuiuslibet morbi symptomata quæ eius ideam speciemque detegunt: Ea exposuit eleganter Gal. 1. de locis affectis: Affectuum enim signa ex quatuor in vniuersum deriuat fontibus, excretis scilicet, doloris proprietate, situ & accidentibus propriis. Non satis est Medico affectus speciem nosse, pars quoque affecta dignoscenda est, diuersa quippe vnius eiusdemque morbi instituitur curatio, pro varia partis quam obsidet natura, téperie, substantia, præstantia,situ & sensu. Affectarũ partium signa ex quinque velut fontibus haurienda putat Galen. actione læsa, situ partis, doloris proprietate, excretis & accidentibus propriis. Qui affectum & partem affectam præclare nouerit,multum in re medica ille profecerit,sed ignorata morbi causa, quomodo curationem aggredietur? Causæ enim coniunctæ debetur curatio, vt antecedenti præcautio. Morbum ergo, partem affectam & causam morbificam inquirere debet Medicus,si in Diagnosi velit excellere.Ego hic dignoscendorum & curandorum affectuum methodum præscribere non institui, alterius sunt hæc & longioris contemplationis: ea tantũ quæ ad prognosin & acutorum morborum crises spectãt, his lib. inquirere consilium est. Quomodo igitur in prognosi debeat se exercere Medicus,& non modo criseos, sed etiam totius morbi euentum præsentire, breui, facili ac Hippocratica methodo aperiamus.

Diagnoseos tria capita.

Affectuũ signa vnde petẽda.

Partis affectæ signa.

Causarũ cognitio necessaria ad curationẽ.

Prognoseos utilitas & à quibus prognostica omnia signa petenda sint.

Cap. II.

Vt nauis peritus ille dicitur gubernator, qui imminentes ventorum tempestates tanquam è specula præuidens in tutum & tranquillum portum se recipit. Ita prudentis expertique Medici nomē is meretur, qui morborum exitus & crises præsentiens, aut vnde vitę impendet periculū indicat, aut certam salutis spem pollicetur: Quisquis futuros morbi euentus bene prædixerit, is vulgi & adstantium calumniam vitabit. Maximam de eo omnes concipient opinionem, remediorum denique dignitatem is conseruabit: Non sunt enim temere profananda remedia, quæ multis fuere præsidio, & desperatis medicinam facere vetat Hipp. Qui aliter fecerit, in ancipiti versabitur perpetuo & leui momento huc illud distrahetur, nauis instar, quæ interflectus sine clauo iactatur. Propterea initio Prognost. hæc scripsit admirandus Hippocrates τὸν ἰητρὸν δοκεῖ μοὶ ἄριστον εἶναι πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν, id est, Medicum prouidentiæ operam dare optimum esse mihi videtur. Verum in præsagiendi hac arte multa sæpè obuersantur fallacia: nam dum furit humor habetque ὀργασμὸν, nihil tuto prædici potest, quia ex commigratione ad locum nobiliorem leuis morbus ingrauescit, et transitu ad ignobiliorem sanatur grauissimus: Quoniam vt frequens est in acutis morbis ille humorum ὀργασμὸς ideo dixit Hipp. aphor. 19. sect. 2. Acutorum morborum non omnino certas esse prædictiones, neque mortis neque salutis. Monstra (inquit Auerrhoes) superant vniuersam præsagiendi artem. At in morborum solutionibus monstra sæpe contingunt. Prudens ergo sit Medicus in præsagiendo, nec præceps sit aut temerarium eius iudicium. Gal. in prædicendo se nunquam deceptum fuisse gloriatur, quod semper sine festinatione diligentiam & sine tarditate grauitatem adhibuerit. Prædicendi hanc artem primus omnium, quorum memoria ad nos peruenit Hip. diuino afflatus numine ita exposuit, vt nihil omnin-

Marginal notes: Vtilitas progn. — Fallax interdū ars præsagiēdi. — Cur non sint certæ prædictiones in acutis morbis.

nino desiderari possit. Ego quæ sparsim ab eo sunt tradita, hic in epilogum & certam summam colligam, facili hac methodo.

Prognostica omnia signa è duob. velut fontibus haurienda sunt, morbo scilicet in quo euentus quæritur, & ægrotantis natura. In morbo tria spectanda sunt species seu idea, magnitudo, motus & mores. Speciem indicant signa propria pathognomica dicta: magnitudinem ἐπιγιγνόμενα, id est, superuenientia, motum & mores, ἐμφαινόμενα, id est, apparentia. In ægro tria considerantur qualitas corporis, actiones & excrementa. Qualitas spectari debet in colore figura & mole totius, sed præsertim faciei. Actiones tres sunt naturalis, vitalis, animalis. Naturalis in coctione lucet maxime. Vitalis in pulsu & respiratione. Animalis triplex est, motrix, sensifica, interna externa, & princeps, vt imaginatio, memoria, ratiocinatio. Excrementa, alia sunt vniuersalia, vt vrinæ, deiectiones sudor, vomitus : Alia particularia cerebri, oculorum aurium, Thoracis, ventriculi, intestinorum, renum, vesicæ, vteri, &c. Ex his omnibus prognostica signa petenda sunt.

Vnde petenda sunt signa prognostica

In morbo 4. cōsideranda.

In ægro quæ spectanda.

Tabula signorum omnium prognosticarum capita continens.

- *Signa omnia prognostica ex duobus petenda sunt, nempe ex*
  - *Morbo, in quo tria spectanda sunt*
    - 1. *Species, quam demonstrant signa pathognomonica.*
    - 2. *Magnitudo, quam indicant super-uenientia*
    - 3. *Motus & mores, quos apparentia*
  - *Aegrotantis natura, in qua tria considerantur.*
    - *Qualitas corporis quae cernitur in*
      - *Colore*
        - *Naturali*
        - *Non natu-rali*
      - *Figura*
        - *Sim*
        - *Dißimili*
      - *Mole*
        - *Craßiore*
        - *Tenuiore*
    - *Actiones res sunt*
      - *Animalis triplex*
        - *Motrix*
        - *Sensifica*
        - *Princeps.*
      - *Vitalis quae in duobus conspicua est*
        - *Pulsu*
        - *Respi-ratiōe*
      - *Naturalis quae in coctione potißimum lucet*
    - *Excrementa*
      - *Vniuersalia*
        - *Vrinae*
        - *Deiectiones*
        - *Sudores*
        - *Vomitus*
      - *Particularia*
        - *Capitis*
        - *Thoracis*
        - *Ventris*
        - *Renum &c.*

Quanam ex morbi natura prognostica petenda sint

Cap. III.

VT præcipuum diagnoſeos caput circa morbi dignotionem verſatur, & vt princeps indicatio θεραπευτικὴ ex morbi natura petenda eſt (indicat quippe morbus ſui ablationem per contraria) ita omnis fere præſagij vis pendet ex dignotione exacta morbi, in quo euētus quæritur. In morbo hæc ſpectanda ſunt, ſpecies, magnitudo, mores & motus. Speciem detegunt ſigna propria, παθογνωμονικὰ dicunt Græci & ἀχώριστα, Magnitudinē ἐπιγινόμενα, id eſt, ſuperuenientia; mores & motum ἐπιφαινόμενα, id eſt, apparentia. Illuſtremus hæc pleuritidis vnius exemplo. Pleuritidis ſigna pathognomonica ſunt lateris dolor pungens, dolor ob intemperiem & diſtentionem, pungens ratione membranæ, quę eſt exquiſitiſſimi ſenſus. Difficultas ſpirandi, tum quia ab inflammatione augetur vſus reſpirationis, tum quia organorum reſpirationi dicatorū adeſt anguſtia. Pulſus durus & inæqualis ſerræ modo tactum feriens, durus ratione inflammationis & partis obſeſſæ, quæ membranea duraque eſt, inæqualis ob inæqualem arteriarum intemperiem. Febris continua eaquę acuta propter cordis viciniam, Tuſſis exſudante ſero in pulmones. Hæc ſigna morbi ſpeciem inflammationem ſcilicet lateris neceſſario indicant. Magnitudinem vero pleuritidis indicāt ſigna ἐπιγινόμενα, id eſt, ſymptomata ſuperuenientia, quæ per humoris propagationem fieri ſolēt, eiuſmodi ſunt in pleuritide phrenitis, alui fluxus, ortopnœa, faciei & oculorum rubor, maculæ per thoracem erumpentes, dorſi & ſcapularum rubor, omnia hæc pleuritidis maximæ & inſanabilis ſigna ſunt. Motum & mores pleuritidis denūtiant ἐπιφαινόμενα, quæ humoris morbifici qualitatem malignam detegunt, proindeque morbi longitudinem, aut breuitatem, talia in ſputis & linguæ colore conſideranda ſunt. Sputum (inquit Hipp. Aphor. 12. ſect. 1. αὐτίκα ἢ ἐπιφαίνηται ἀρχομένης βραχύσει, ἢν ὕστερον ἐπιφαίνηται μηκύνει, id eſt, ſi ſtatim

In morbo tria conſideranda.

Pathognomonica ſigna pleuritidis.

Epigenomena.

Epiphęnomena.

in pleuritide appareat, breuiorem morbum arguit, si vero postea longiore. De linguæ colore hæc etiam scripsit Hippoc. Quibus pleuriticis continuo lingua bile fucata est, septimo die iudicantur, subliuida autem bilia continuo in lingua humescens, difficulter exsolutum iri morbum ostendit. Quæ in pleuritide obseruauimus, in reliquis omnibus morbis acutis spectare debet medicus. Ergo ex his tribus, specie morbi eiusdem magnitudine & motu, morbisque prognostica signa peti possunt. Si speciem morbi consideret Medicus, salutarem aut lethalem affectum præsagiet. Sunt enim morbi quidam in sua specie insanabiles. Sic apud Hip. Aphor. 42. sect. 2. soluere apoplexiam fortem impossibile, debilem vero non facile. Sic apud Gal. omnis intemperies æqualis est insanabilis, appello æqualem intemperiem eam, in qua temperamentum no amplius immutatur, sed alteratum omnino & immutatu est. Hæc duplex, vniuersalis, vt hectica tertij gradus & elephantiasis & particularis vt gangrena. Est autem ideo insanabilis, quia ex Aristotelis doctrina in Metaphysicis sanitas non nisi ex sanitate, at in æquali ea intemperie sanitatis nulla supersunt vestigia: adde quod a priuatione habitus denuo comparari non potest, hic autem alienatio est temperamenti. Hippoc. libro de vulneribus capitis, ex vulneris specie præcipua sumit prognostica, rimas occultas periculosas esse vult; sed quandam speciem fracturæ, quam recentiores [illegible] vocant, periculosissimam fer bit & ideo calamitatem vocat. Ex superuenientibus signis ([illegible] dicunt) prognostica peti possunt: Quoties enim hæc superueniut morbi magnitudinem denuntiant. Sic in pleuritide & peripneumonia alui fluxus superueniens malum Aphor. 16. sect. 6. sic in angina capitis dolor prægrandis & fecum inrussa excretio desperatam anginam prænuntiant: fit enim dolor per expressionem facti in iugulares venas & carotides arterias, quæ prorepunt ad caput. Excretio autem fecum inrussa, fit a forti laringis obstructione, vnde fumidus vapor cum liberum non habeat exitum, diaphragma & musculos abdominis comprimit: sic in hepatitis singultus superueniens malum. Ex epiphenomenis & apparentibus signis, maxima salutis & mortis, celeritatis & tarditatis, securitatis & periculi petitur indicia. Talia sut cruditatis & coctionis signa sic sputu in pleuritide, breuiorem

Morbi quidam in sua specie lethales.

Intemperies corporis æqualis incurabilis.

Ex superuenientibus quæ progn. peti possunt.

Prognostica ex Epiphanomenis.

niorem aut longiorem morbum prenũtiat, deiectiones in morbis aluinis, vrinæ in hepatis & venarum affectibus, ſed de his lib. 1. ſatis fuſe diſputauimus.

Prognoſtica ex Ægrotantis natura petenda, ac primum ex qualitate corporis.

Cap. IV.

IN ægris tria ſpectare debet Medicus, qualitatem corporis, actiones & excrementa. Qualitatem habitumue conſiderat Hippoc. in colore, figura & mole totius, ſed præſertim faciei, quod hæc prima omnium ſeſe det in conſpectum Medici. Faciei color multiplex eſſe poteſt ſed triplicem præcipue obſeruat Hippoc rubrum, liuidũ. nigrum: Rubor faciei non refluus, vt in his qui verecundia erubeſcunt, ſed aliquantulum ſtabilis, (κατά τον ἐνηδρον vocat in prorrhetico) triplex eſt, Naturalis iſq; cum decore, laudabilis eſt: Non naturalis, apparet ad futuram hæmorrhagiam criticam, & contra naturam faciem vultuoſam appellat in Coacis & aſpectu terribilem, quam lethalẽ iudicat, phrenitidem enim aut conuulſionem prenuntiat ab incendio cerebri. Liuidus color perpetuo lethalis, tum in ſolidis partibus, tum in excrementis, prog. nona ſect. 1. oculorum venæ liuentes peſſimæ. Prognoſi vndecima eiuſdem ſectio. palpebra liueſcẽs lethalis. aphor. 68. Coacarum. Quæ liuent in febribus, mortem in propinquo eſſe ſignificat. Eodem lib. lingua liuida mortifera eſt. Niger color idem fere minatur periculũ, peius tamen eſt partes liuere, quã nigreſcere, quia fit interdum nigredo per decubitum humoris atri, ſic ſæpe vrinæ nigræ funduntur, at liuor natiui caloris extinctionem perpetuo arguit.

Figura faciei duplex eſt, aut ſimilis, aut diſſimilis. Quæ ſimilis eſt ſanorum, maxime vero ſibi ipſi laudatur Apho. 4. ſect. 1. prognoſt. Diſſimilis aut eſt deprauata, aut omnino à ſe mutata & pene emortua. Deprauata cernitur in oculorum & narium peruerſione, de

Tria in ægro ſpectanda

Faciei color multiplex.

Rubor triplex

Liuidus color

Figura faciei duplex. Similis. Diſſimilis duplex

Deprauata.

qua aphor 49.sect.4. In febre nō intermittēte si labrum, aut supercilium aut oculus, aut nasus peruertantur, in propinquo mors est. Quæ omnino à se mutata est describitur in initio progn. (πρόσωπον διαφθορὴν vocat in Coacis, alibi faciem cadauerosam.) Est autem eiusmodi. Nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigidæ & contractæ, cutis circa frontem dura, calor totius faciei niger, aut liuidus.

Cadauerosa Moles faciei.

Moles in crassitie & tenuitate spectanda est. Aphor. 28 sect.2. Febricitātium non omnino leuiter corpus permanere, & nihil minui, vel etiam plus quam ratio postulat contabescere malum. Illud enim morbi longitudinē, hoc maximam imbecillitatē significat. In Coacis prænotionibus, facies ex tumescente residēs salutaris. Et sectione quinta libri secundi Epide. Sic cui frebricitanti facies die critico extenuetur, sequenti die soluetur omnino morbus.

Prognostica ex actionibus petenda ac primum quæ ex animalibus actionibus.

CAP. VI.

Explorata corporis qualitate (quia hæc prima omnium sese dat in cōspectum) actiones omnes percurrere debet Medicus. Actionum aliæ sunt animales, aliæ vitales, aliæ naturales. Animales à Gal. ita distinguuntur vt aliæ sint κινητικαί, id est, motrices, aliæ αἰσθητικαί id est, sensificæ, aliæ ἡγεμονικαί, id est principes. Sentiens facultas duplex: interna, cuius obiectum commune est, (Philosophi sensum communem vocant, quod ad eum tanquam censorem & iudicem externorum sensuum spectra ferantur) & externa; cuius obiectum singulare est. Principes facultates tres sunt, imaginatio, quæ spectra ab omni materiæ cōtagio libera concipit, ratiocinatio, quæ vniuersalium rerum ideas speculatur, & memoria, quæ notionum omnium communis arcula singula seruat & condit. Ab his omnibus prognost. signa eruuntur. Atque vt à motrice aggrediar:

Animalium facultatū distinctio.

Motrix facultas vel debilis est, vel deprauata. Debilitatis signa in decubitu & tremore lucent. Decubitus aut naturalis est, aut contra naturam Naturalis & sanorum similis is est, qui fit in alterutrum latus, manibus, pedibus cruribusque modice reflexis, quæ figura media est, hunc laudat Hippoc. 1. prognost. Optimi (inquit) sunt decubitus qui sanorum similes exsistunt, & aphor. 6. sect. 2. Prognost. Conuertit facile conuenit ægrotum, & in attollendo se leuem esse. Decubitus contra naturam, aut pronus est, aut supinus. Pronus delirij signum est, modo torminum, aut consuetudinis & molliriei nulla sit excusatio aphor. 18. sect. 1. progn. Supinus peior est, quia maxima motricis imbecillitatem arguit: Quod si prolabatur in pedes (ἐρρῖψιν vocat Hippoc.) pessimum Aphor. 14 sect. 1. progn. Signum est enim emortuæ & exstinctæ omnino facultatis. Tremor symptoma est etiam imbecillioris motricis facultatis, sed ille tantum lethalis est qui ab exhausto fit: sic acute febricitantes & phrenitici fere omnes, tãdem tremuli moriuntur. Deprauati motus voluntarij symptoma est conuulsio vniuersi corporis, aut partium. Conuulsio vniuersi corporis si sit ab inanitione, lethalis. Aphoris. 3. sectione quinta. Conuulsio particularis periculo non vacat: sic temporalium musculorum conuulsio, quę dentium stridore denũtiatur praua est progn. 20. sect. 1. Dentibus stridere in febribus, si cui à puero familiare non sit, furiosum est & lethale, & aph. 60. Coacarum, Qui ad manum exsiliunt male se habent.

Motricis prognostica.

De cubitus differentia.

Tremor

Deprauatæ motricis symptomata.

Sensifica facultas duplex est, interna & externa. Internę prognostica petuntur ex ἀναισθησία id est, sensus vacuitate irritatis sensibus sic in dolorificis caussis non dolore pessimũ aphor. 6. sect 2 Quicũque dolentes dolorem nõ sentiunt, iis mens ægrotat, id est sensus communis: Tria enim ad dolorem requiruntur, agens, patiens & diiudicans, agens obiectum est dolorificum, intemperies & solutio continui, patiens pars est sensibilis, diiudicans, sensus est communis, qui in cerebro pro tribuna li sedens, ante se positas & ad pedes genuaque iacentes rerum imagines contemplatur. In sitifera caussa non sitire, malum: Aphor. 59. Coacarum sitis, quæ præter rationẽ in acuto morbo sedatur omnino mala. Sic phrenitici βραχυπόται, id est, parum & raro bibentes, tandem tremuli fiunt, aut conuelluntur. Externæ facultatis sentiẽ-

Sensificę facultatis Progn.

Sentiens interna.

Tria ad dolorem requiruntur.

tis signa prognostica, in singulis αἰσθητηρίοις, id est, sensuum organis, apparent, vt oculis, auribus, lingua. Aphor. 49. sect. 4. Si cui in febre acuta videndi vis, audiendiue pereat ægro, iam debili exsistēte, in propinquo mors est, & in Coacis prenotionibus: in acuta febre aures obsurdescere furiosum.

Sensus externa.

Principiū facultatū progno.

Principum facultatum prognostica in mentis constantia, aut inconstantia, morum similitudine, aut dissimilitudine lucent. Aphor 33. sect. 2. In quouis morbo mente constare & bene se habere ad illas, quæ offeruntur bonum contra vero malum Aphor. 110. Coacarum. Quæ circa res necessarias versantur deliria, pessima, aphor. 52. eiusdem operis. Moderati hominis proterua responsa, malum denuntiant, & Aphor. 48 præter consuetudinem quid facere malum est & dementiæ proximum.

Somnus quid.

Ad animales facultates refert Hip. somnum & vigiliam, neque id immerito. Somnus enim definitur ab Aristotele ἠρεμία τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ, id est, quies primi sensorij, & à Gal. facultatum animalium quies. In progn. interdiu vigilare, noctu domire bonum, at neque noctu, neque interdiu dormire malum, Aphor. 1. sect. 2. In quo morbo somnus laborem facit mortiferum, Aphor. 2. Vbi somnus delirium sedat bonum. Aphor. 133. Coacarum. somni profundi nec turbulenti firmam & stabilem crisin significant.

Prognostica ex somno.

Prognostica quæ ex vitali facultate petuntur.

Cap. VI.

Pulsum nō ignorauit Hippoc. Gale. in pulsuum doctrina excelluit.

Vitalis facultas spirituum procreatrix, in sanguineis & perfectis animalibus, duobus, indiget ad sui conseruationē, pulsu, & respiratione: Ex his ergo prognost. signa eruenda sūt De prænotione ex pulsibus. Hippoc. ne verbū quidē vllum in prog nō tamen eam videtur omnino ignorasse: Nā libello de alimēto, de humorib. & secundo de morbis, pulsus morbi & sanitatis signa esse vult. Herophil. arteriarū pulsus morborū indices miro artificio expressit. Gal. modulos omnes & quasi metricas leges, nec non

nõ rationem prænoscẽdi libris decẽ & septem ita accurate exposuit, vt seipsum ea in re vicisse videatur. Celsus pulsui tanquã fallacissimæ rei fidendũ non esse scribit, & sane (si verum amamus) fallit sæpe arteria, nisi ratio summa prius adhibeatur quam præsagium edas. Sunt peculiares quorundam naturæ, in quibus sæpe obscurus alias nullus omnino percipitur pulsus. Multa sunt quæ momẽto pulsum immutant vt omnia animi pathemata. Nihil ergo de pulsu statuendũ, antequã externarum causarum vis deferbuerit, omnisque sedata sit corporis perturbatio. Priusquam de pulsu certũ edat præsagium Medicus, causas omnes alteratas percurrat animoq; perlustret. Eiusmodi autem trium sunt generum, Naturales, non naturales & præter naturam. Ad naturales refero sexum, ętatem temperiem, habitum corporis, anni tempus. Non naturales aut sunt necessarię vt aer, cibi & potus, somnus & vigilia, motus & quies affectus animi, aut non necessarię, vt balnea, venus cęteraq; id genus. Hæc omnia pulsum immutant varie, prout facultatem validam, vel imbecillam reddunt, vsum augent, vel minuunt, arteriã duriorẽ, vel molliorem reddunt. Sũt enim tres tantum pulsuum continentes causæ efficiens facultas vitalis, finalis (vsum vocat Gal.) nutritio, temperatio, expurgatio & instrumentaria arteria scilicet. Ex pulsu salutis & mortis certissima petuntur indicia. Pulsu enim constante nemo interire potest, solus hic vitę & cordis fidelis est nuntius. Ergo solus hic viriũ & facultatũ vitalium index erit. Pulsus magnus vehemẽs, validus securitatem perpetuo pollicetur, languidus, vero debilis & paruus imbecillæ facultatis est nuntius. Inęqualitas pulsus semper damnatur si perseueret. Intermissio iuuenibus periculosissima, repentinam quippe illis mortem minatur, nisi ex arteriarũ obstructione & oppressione fiat, minus pueris, minime senibus. Reliqua ex Gal. scriptis repete.

Pulsus sæpe fallit.

Quę obseruare debet medicus antequam de pulsu presagiũ edat.

Pulsuum causę cõtinentes tres.

Pulsus vires indicat.

Respiratio cum ad vitalis facultatis subsidiũ sit comparata eius, etiam robur atq; constantiam ostendit. De respiratione multa Hip. in prog. & epid. Aphor. 24. sect. 1. prog. Respiratio facilis & libera in omnibus morbis acutis præclare semper ad salutem apparet & facit. Aph. 23. eiusdem sect. Respiratio, frequens & parua, aut dolorem, aut inflammationem partium diaphragmate superiorum denotat. Respiratio magna & ex longis

Progn. respirationis.

inter

nteruallis signum est delirij. Respiratio parua, minuta & rara interitus iamiam futuri certissimum est indicium. Respiratio frigida è narib. & ore ducta, perniciosa est.

Prognostica quæ ex facultate naturali petuntur.

CAP. VII.

Hypochōdria naturalis œconomiæ dispositionem indicant.

Hypochōdriū naturaliter constitutum

Inæqualitas triplex.

Distētionis causa triplex

Contractio hypochondrij.

NAturalis facultatis prog. ex coctione primū petenda sunt: coctionis autem signa in vrinis & deiectionibus maxime sunt conspicua, de quibus sequēt. cap. dispu-tabitur. Sed inter cætera naturalis œconomiæ bonā aut malam διάθεσιν demonstrant hypochondria. Maxima sane ex hypochondriis salutis aut mortis petuntur indicia: Nulla fere in arte medica prog. recte instituitur, quæ hypochondriorum contactum non admittat. Hypochondrium (ait Hip. aphor. 26. sect. 1. Progn. optimum est, ἀνώδυνόν τε ἐὸν καὶ μαλθακὸν καὶ ὁμαλὸν id est doloris expers, molle & æquale. Contra inæquale & dolorificum pessimum. Inæqualitas porro hypochōdriorū triplex à Gal. obseruatur in qualitate scilicet, in quantitate, & in consistentia. Qualitatis inæqualitas cernitur cum calent ea, reliquis partib. algentib. De ea inæqualitate loquitur Hip. aph. 4. sect. 2 pro Caput frigere, manus, & pedes, ventre costisque calentib. malum, optimum vero est totum corpus æqualiter calidum esse ac molle. Quantitatis inæqualitas duplex est, distentio scilicet & contractio. Distentionis causa triplex, inflammatio. inflatio à flatulentosspiritu, & scirrus Contractio nunquam fit proprio vitio hypochondriorum, sed alieno, vt à diaphragmatis inflammatione: Diaphragma enim inferiore parte tegitur peritonæo, quod viscera omnia & partes in ventre inferiore contentas instar sacci complectitur: itaque dum retrahitur ab inflammatione diaphragma, trahit secum peritonæum, & cum eo naturalia omnia organa, hinc hypochondriorum intro sursum retractio.

* * *

Progn

Prognoſtica ex excrementis petenda vniuerſalibus, ac primum ex ſudore.

Cap. VIII.

Tertius ſupereſt ſignorum prognoſticon fons ab excrementis hauriendus. Excrementa alia ſunt vniuerſalia, alia particularia. Vniuerſalia quatuor ſunt; ſudores, vrinæ, deiectiones, vomitus. In ſudore quinque ſpectanda ſunt quantitas, qualitas tempus, excernendi modus & locus. De quantitate hæc prima lex ſanciatur. Vt nihil paucũ eſt criticũ, ita quod nimiũ eſt dãnatur. Quod enim paucum excernitur aut malignos & multos humores naturæ dominatu regi non poſſe, aut ſumma naturæ fatiſcentis exſolutionẽ denunciat. Aph. 1 Coaca. Qui ex rigore perfrigidi, exiguo ſudore madent, vt ſe collegerint moriuntur Aph. 43. eiuſdem operis. οἱ ἰδρῶντες ἐ πυρετῷ κακοήθεις, id eſt, qui leuiter exſudant in febre, maligne habent. Qualitatem ſudoris conſiderat Hip. in calore & frigore. Debet ſalutaris & criticus ſudor calidus eſſe, non frigidus. Aph. 37. ſect. 4. Frigidi ſudores cum acuta febre mortem, cum mitiori autem morbi longitudinem ſignificant. Eſt enim frigus duplex, aliud priuatiuum alterũ poſitiuum: illud fit per abſentiam natiui caloris ab interceptione retractione, inopia: Interceptio obſtructionem retractio phlegmonem, inopia exhauſtum indicat, quorum quodlibet peſſimũ eſt Poſitiuum frigus fit per præſentiã humoris frigidi, pituitæ ſcilicet acidæ, aut vitreæ, quæ cum difficile excutiatur, longitudinem arguit morbi. Tertio requiritur tempus ſudoris, id eſt dies criticus: Qui enim aliis diebus erumpunt, ſuſpecti eſſe ſolent Aph. 36. ſect. 4. ſudores febricitantib. boni, qui manare cœperint die tertio, quinto, ſeptimo nono, vndecimo, decimoquarto, &c. Qui vero non ita fiunt, laborem, & morbi longitudinem, & recidiuas ſignificat. Excernẽdi modus maxime etiam ſpectandus eſt. Debet confertim, non ſenſim & paulatim erumpere ſudor qui enim ſenſim ſtillat ab exſolutione eſt qui cõfertim ab excretione. Poſtremo locum ſudoris conſiderat Hip. Bonus ille eſt qui

In ſudore quinque ſpectanda.

Quantitas.

Qualitas ſudoris.

Frigus duplex priuatiuum & poſitiuũ

Tempus ſudoris.

Excernẽdi mod⁹

per totum corpus effluit, prauus autem, quo caput tantũ, ceruix & claviculæ roris instar exsudant. Hæc omnia vnico Aph. complexus est mirus Hip. sect. 1. prog. his verbis. Sudores optimi sunt in omnib. morbis acutis, qui diebus criticis contingunt: Boni etiam sunt, qui per totum corpus fiunt. Pessimi autem sunt frigidi, & qui tantum circa caput, faciem & ceruicem exudant. Hi enim cum acuta quidem febre mortem, cum mitiore vero longitudinem morbi prænunciant.

Prognostica vrinarum.

Cap. IX.

Ex vrinis certissima coctionis & cruditatis, salutis & mortis petuntur indicia coctionis quidẽ & cruditatis primo & per se, quia vrina hepatis & venarum est excrementũ, salutis & mortis per accidẽs In vrinis duo obseruare debet Medicus, liquorem & contenta. In liquore tria spectanda sunt substantia, quantitas & qualitas. Substantia aut tenuis est aut crassa, aut mediocris, eaque vel perspicua vel turbulenta. Vrina tenuis vel est cũ febre, vel sine febre. Quæ sine febre, meatuum tantum vrinæ dicatorum, aut hepatis, lienis, & viscerum obstructionem arguit, nonnunquam etiam paroxysmum epilepticũ minatur iis, qui morbo obnoxij sunt. Quæ est cum febre, cruditatem in vniuersum arguit, & si summa adsit virium imbecillitas mortem, aut periculum ingens minatur sin autem constent vires morbi longitudinẽ, aut abscessum imis in partib. prænunciat. Crassa vrina talis est, aut μετρίως, id est moderate aut ὑπερβολικῶς, id est, in excessu. Quæ moderate crassa est laudatur, arguit enim caloris natiui robur, cuius imperio τὰ ὁμογενῆ congregãtur, quæ crassissima est, dolores, abscessus prauos, morbi longitudinem, recidiuas prænuntiat, quia aut propter nimiũ calorem aut propter immodicum frigus aut ob partium diuersæ naturę confusionem talis euasit. Vrinæ perturbatæ in febre acuta cum virium robore diuturnitatem: cũ imbecillitate mortem significant: quod si perturbatæ mingantur, & tales remaneant, sintque iumentorum similes

[Margin notes:] Duo in vrinis obseruãda. — Substantia vrinarum. — Tenuis vrina quid indicet. — Crassa vrina quid indicet. — Vrinæ perturbatæ.

miles, dolorem capitis, delirium, conuulſionem præſagiunt.

Prognoſtica ex vrinarũ quantitate hæc ſunto. Copioſa vrina ſi ab euidente cauſa nõ fiat, aut à natura motu, (vt in perirrhœa critica contingit) ſẽper praua eſt, & vt ſignũ, & vt cauſa, vt ſignũ, quia vel humoris crudi abundantiã, vel renum calidiorem intemperiem, aut eorundem exſolutionem aut denique totius corporis colliquationem indicat, vt cauſã quia vires deiicit, ſpiritus natiuumque calorẽ diſſoluit. Pauca vrina fit ſine febre, aut meatuum vrinariorum obſtructionem, aut excretricis & ſecretricis renum facultatis imbecillitatem arguit. Cum febre acuta ſi nulla fit excuſatio ſudoris critici mox erupturi, aut maximum inducat incendium ſerum exhauriens, aut ſeroſi humoris tranſlationem ſymptomaticam ad ſuperiores partes, vtraque cauſa lethalis eſt.

Prognoſtica ex quantitate vrina.

Copioſa vrina quid indicat.

Pauca vrina.

Qualitas vrinarum in colore potiſſimum & odore ſpectanda eſt. Colores aut extremi ſunt aut medij: extremi duo, albus & niger. Intermedij quamplures. Albus color ſine febre nihil lethale præ ſe fert, cum febre periculoſus eſt, quia vel ſummam natiui caloris imbecillitatem oſtẽdit, vel vniuerſæ bilis tranſlationem ad caput, vel magnũ hepatis incendium, quo ſanguis vna cum bile abſorbetur. Vrinæ nigrę ſi tales ſint generatione perpetuo ſunt lethales, quia aut natiui caloris extinctionem denotant, aut maximum incendium omnia torrefaciens. Si tales ſint permiſtione humoris atri, ſalutares aliquando & criticę eſſe poſſunt, lege quę de albis & nigris vrinis fuſius annotauimus cap 8. lib. 1. Vrina prærubra ſi talis ſit ab inflammatione ſeri, initio morbi longitudinem arguit, in ſtatu vero mortem: ſi rubra ſit bilis permiſtione, aut hepatis inflammationẽ denotat, aut ductuũ veſiculę felleæ obſtructionem: ſi talis ſit permiſtione ſanguinis (cruentã vocant) aut eſt ab vniuerſo corpore, aut à renibus & veſica: Ab vniuerſo corpore ob plethoram, vel ſuppreſſionem ſolẽnnis vacuationis, vt menſium, hęmorrhoidum. Si à renibus, id per anaſtomoſin, diapedeſin & diereſin contingere poteſt: ab eroſione & ruptione periculoſa eſt. Atq; hęc ſunt quę in liquore obſeruare debet Medicus, Quæ autem in contentis luceant & quæ ex his prognoſtica peti poſſint, capite nono, lib. 1. expoſuimus, quę hic repetere non lubet.

Qualitas vrinarum.

Alba vrina quid indicet.

Nigra

Rubra vrina multiplex.

Prognostica ex deiectionibus & vomitionibus petenda.

Cap. X.

In deiectionib. 5. obseruanda. IN deiectionibus, quas διαχωρήματα aut ὑποχωρήματα appellare solet Hipp. quinque obseruare debet Medicus substantiam, qualitatem, quantitatem, tempus, & excernendi modum. Si substantiam spectes, optimum est Subtantia. (ait Hippoc. aphor. 13. sect. 2. progn.) excrementum alui molle, coherens & moderate crassum. subiungit postea aphor. 16. omne excrementum crassescere debet eunte ad iudicationem morbo. Contra aquosum valde & liquidum prauum. Qualitas in colore & odore consideranda Subtantia. est. de varietate & prognosi colorum in deiectionibus, hoc protulit edictum aphor. 20. 21. 22. 23. sect. 2. progn. Album excrementum aut viride, aut vehementer rufū, Qualitas. aut spumosum, prauum est: His vero magis lethalia fuerint nigra, aut pinguia, aut liuida, aut æruginosa. in Coac. prænot. si cui febricitanti bilis atra sursum deorsumue exeat lethale. Excrementa κακώδεα, id est, male olentia damnantur. Quantitatē & tempus designauit Hippoc. eadem sect. Aphor. 13. Copia cibo ingesto proportione respondere debet, & apho. 15. Quin & pro copia in- Quātitas & tēpus gestorū egere oportet bis aut ter in die, noctu vero semel, sed plura mane, quemadmodum consuetum est homini. Postremo excernendi modus considerandus est. De- Excernēdi modus bet non multum & sæpe excerni, quia periculum est ne in animi deliquium incidat: frequens enim & plurima vacuatio est periculosa: Nec sæpe & parum, fatigatur enim (ait Hippocrates Aphor. 19. sectione secunda, prog.) homo si frequenter surgere cogatur & vigilias vtrique contraxerit. Hoc idem in coacis breuius scriptum legitur. Deiectio, quæ multum ac sepe mouetur aut sæpe ac parum praua est: hæc enim vigilias, illa autem virium exsolutionem forte intulerit.

Vomitionis eadem fore est ratio que deiectionū. Vomitus ille apud Hip. laudatur qui pituitam exhibet accurate mixtam cum bile, qui neque ad modum crassus, neque

que multus: Vomitus autem porraceus, niger ac liuidus peſſimus. Eſt etiam lethalis rubor vomitus, maximeque ſi ægre vomatur. Si vero omnes colores idem homo vomit, valde pernitioſum hoc eſt. Atque hæc ſunt excrementa vniuerſalia, ſeu communia, quæ in quibuſque morbis communiter apparent, eoſque ſoluunt. Particularia cerebri, oculorum, aurium, thoracis.ventriculi inteſtinorum, renum, vteri excrementa, in parricularibus morbis deſcribenda ſunt. Nos generalem tantum hic methodum præſcribimus, proptereaqne præcipua tantū prognoſeos capita, quæ ex morbi ſpecie, magnitudine, motu, & ægrotantis natura; qualitate ſcilicet, actionibus & excrementis peti poſſunt perſtrinximus. Reliqua ex Hippoc. progn. prorrhetico & Coac. repetenda ſunt.

FINIS.

INDEX RERVM
ET VERBORVM QVÆ
IN HOC OPERE CONTI-
nentur, copiosissi-
mus.

acce

I N